

Altmann und Bernheim

Ausgewählte Urkunden

Dr. Gustav Winter.

Ausgewählte Urkunden

zur Erläuterung

der Verfassungsgeschichte Deutschlands im Mittelalter.

Zum Handgebrauch für Juristen und Historiker.

Herausgegeben von

Wilh. Altmann und Ernst Bernheim
Bibliotheks-Kustos o. ö. Prof. der Geschichte

in Greifswald.

Berlin 1891.
R. Gaertners Verlagsbuchhandlung
Hermann Heyfelder.
SW. Schönebergerstrasse 26.



Vorwort.

Bei Herausgabe dieses Büchleins erheben wir keinen anderen Anspruch als eine handliche praktische Zusammenstellung der für die Verfassungsgeschichte Deutschlands im Mittelalter wichtigsten Urkunden zu geben. Dass das Bedürfniss nach einer derartigen Zusammenstellung vorhanden ist, werden vor allem diejenigen nicht verkennen, welche sich nur einmal der Mühe unterzogen haben eine Anzahl solcher Urkunden aus den vielen in Betracht kommenden oft schwer zugänglichen Werken herauszusuchen.

Das Büchlein soll zum Nachlesen und Nachschlagen vor allem auch als Grundlage für verfassungsgeschichtliche Uebungen in den Seminarien und zur Vorbereitung für den Geschichtslehrer an höheren Schulen dienen. Bei der Auswahl der Urkunden konnte den Bedürfnissen der Juristen wie der Historiker in gleicher Weise Rechnung getragen werden; auch Theologen dürften manches für sie Wertvolle in unserer Zusammenstellung finden und zwar nicht bloss in dem Abschnitt „Reich und Kirche".

Wir haben es bei unserem Zweck nicht für nötig gehalten auf die handschriftliche Ueberlieferung der Urkunden zurückzugehen oder gar eine mit philologisch-kritischem Apparat ausgerüstete Ausgabe zu liefern; für unseren Zweck erschien es ausreichend auf Grund der besten vorhandenen Editionen einen möglichst übersichtlichen und lesbaren Text herzustellen. Demgemäss haben wir, und zwar ohne dies im einzelnen anzumerken, da wo zweifelhafte Lesarten oder verderbte Stellen und Auslassungen vorlagen, die sich am meisten empfehlende Lesart bzw. Konjektur (in der üblichen Bezeichnungsweise durch eckige Klammern bzw. Kursive) in den Text aufgenommen, vielfach die oft geradezu den Sinn störende Interpunktion und Einteilung früherer Editionen richtig gestellt, Druckfehler, die sich von Ausgabe zu Ausgabe fortgeschleppt haben, beseitigt und zwar mitunter auch bei neueren Texten durch Heranziehung älterer Ausgaben; wo uns keine einigermassen brauchbare Edition vorlag (z. B. Nr. 46 u. 47) haben wir uns auch nicht gescheut auf eigene Hand zu bessern; von der Orthographie unserer Vorlagen glaubten wir überhaupt häufig im Interesse einer von uns freilich nicht überall erreichten Gleichmässigkeit abgehen zu dürfen; dass wir dabei im wesentlichen die von unserem Lehrer Weizsäcker herrührenden Grundsätze zu befolgen hatten, konnte für uns nicht zweifelhaft sein. Wir glauben daher hoffen zu dürfen, dass doch mancher der von uns gebotenen Texte den vorhandenen gegenüber einen

Fortschritt aufweist, z. B. die Wiedergabe „der goldenen Bulle Karls IV.“, bei welcher uns auch die Verbesserungen Lindners zu dem Harnackschen Texte zu gute kamen.

Sachliche Erläuterungen zu geben erschien uns nicht angebracht. Wir hätten damit ebenso wie durch kritische Anmerkungen nur die Handlichkeit des Büchleins geschädigt. Dagegen haben wir zu jeder Urkunde von den Erläuterungsschriften die gewissermassen klassischen Werke bzw. die neueste über den Gegenstand erschienene Abhandlung als Hinweis für vollständige Orientierung angeführt.

Die Rücksicht den Umfang des Werkes in bescheidenen Grenzen zu halten, hat uns bei der Auswahl eine gewisse Beschränkung auferlegt. Immerhin glauben wir eher zu viel als zu wenig zu bieten. Das vollständige Material für die ganze Entwickelung der einzelnen Verfassungsinstitute zu geben lag natürlich gänzlich ausserhalb unseres Planes und aller Möglichkeit, doch haben wir die Hauptphasen der Entwickelungen durch einzelne typische Urkunden möglichst zu veranschaulichen gesucht.

Der Stoff ist in sechs systematisch geordnete Abschnitte gegliedert, innerhalb deren die einzelnen Urkunden chronologisch an einander gereiht sind. Von den Funktionen der Staatsgewalt haben wir das Finanzwesen ausgeschlossen, da eine verfassungsmässige Organisation desselben in unserem mittelalterlichen Reichswesen nicht bemerkbar ist und das Material, das wir sonst etwa unter dieser Rubrik hätten bringen können, wesentlich der Wirtschaftsgeschichte angehört. Dass zwischen den einzelnen Abschnitten sehr häufig sich kreuzende sachliche Beziehungen bestehen, darauf glaubten wir im einzelnen nicht besonders hinweisen zu müssen, zumal sich das für jeden Kenner des unsystematischen Charakters der mittelalterlichen Gesetzgebung von selbst versteht.

Greifswald, 16. April 1891.

Wilhelm Altmann. Ernst Bernheim.

Inhalt.

I.

Staatsgewalt und Reichsverfassung im allgemeinen.

I. Gesetz Chlothars II vom 18. Oktober 614.

Abgedruckt aus Monumenta Germaniae historica (Quartserie) Legum sectio II Capitularia regum Francorum I ed. A. Boretius (1881) S. 20—23. Die einzige Handschrift, in der uns das Gesetz überliefert ist, hat durch Feuchtigkeit etc. stellenweise gelitten, besonders cap. 13 und cap. 14, wo 49 Zeilen verloschen sind; unleserliche Stellen sind im Abdruck durch Punkte, zweifelhafte Stellen und Konjekturen durch Kursive bezeichnet. — Vgl. die Anmerkungen in Mon. Germ. l. c.; G. Waitz, Deutsche Verfassungsgeschichte Band II Abtheilg. 2, dritte Auflage (1882) S. 386—395. Betreffs der Sprache des Gesetzes vgl. G. Gröber's Grundriss der romanischen Philologie Band I (1886) S. 351—382; Max Bonnet, Le latin de Grégoire de Tours (thèse de doctorat, Paris 1890) Introduction.

Felicitatem regni nostri in hoc *magis* magisque divinum intercedente suffragium succrescere non dubium est, si qua in regno Deo propicio nostro bene acta, statuta atque decreta sunt, inviolabiliter nostro studuerimus tempore custodire; et quod contra rationis ordinem acta vel ordinata sunt, *ne* inantea, quod avertat divinitas, contingat, disposuimus Christo praesole per huius edicti nostri tenorem generaliter emendare.

1. Ideoque definitionis nostrae est, ut canonum statuta in omnibus conserventur et quod per tempore ex hoc praetermissum est vel dehaec perpetualiter conservetur; ita ut episcopo decedente in loco *ipsius*, qui a metropolitano ordinari debeat cum provincialibus, a clero *et populo* eligatur; si persona condigna fuerit, per ordinationem principis ordinetur; certe si de palatio eligitur, per meritum personae et doctrinae ordinetur.

2. Ut nullus episcoporum se vivente eligat successorem, sed tunc alius ei substituatur, cum taliter afficeretur, ut ecclesiam suam nec clerum regere possit. Idemque ut nullus vivente episcopo adoptare locum eius praesumat; quod si petierit, ei menime tribuatur.

3. Si quis clerecus, quolibet honore monitus, in contimtu episcopo suo vel praetermisso, ad principem aut ad potentioris quasque personas ambulare vel sibi patrocinia elegerit expetendum, non recipiatur, praeter si pro veniam vedetur expetere. Et si pro qualebit causa ad principem expetierit et cum ipsius principis epistola ad episcopo suo fuerit reversus, excusatus recipiatur. His qui ipsum post admonitionem pontefici suo retenere praesumpserit, a sancto communione privetur.

4. Ut nullum iudicum de qualebit ordine clerecus de civilibus causis, praeter criminale negucia, per se destringere aut damnare praesumat, nisi convicitur manefestus, excepto presbytero aut diacono. Qui convicti fuerint de crimine capitali, iuxta canones distringantur et cum ponteficibus examinentur.

5. Quod si causa inter personam publicam et hominibus ecclesiae steterit, pariter ab utraque partem praepositi ecclesiarum et iudex publicus in audientia publica positi eos debeant iudicare.

6. Cuicumque defunctu, si intestatus decesserit, propinqui absque contrarietate iudicum in eius facultatem iuxta legem succedant.

7. Libertus cuiuscumque ingenuorum a sacerdotibus, iuxta textus cartarum ingenuetatis suae contenit, defensandus, nec absque praesentia episcopi aut praepositi aeclesiae esse iudicandus vel ad publicum revocandus.

8. Ut ubicumque census novus impie addetus est et a populo reclamatur, iuxta inquaesitione misericorditer emendetur.

9. De toloneo: ea loca debeat exegi vel de speciebus ipsis, quae praecidentium principum [tempore], id est usque transitum bone memorie domnorum parentum nostrorum Gunthramni, Chilperici, Sigiberthi regum est exactum.

10. Iudaei super christianus actionis publicas agere non debeant. Quicumque se . . . tuos . . . dine sociare praesumpserit, *sever*issimam legem ex canonica incurrat sententia.

11. Ut pax et disciplina in regno nostro sit, Christo propiciante, *perpetua, et ut* revellus vel insullentia malorum hominum severissime reprimatur.

12. Et nullus iudex de aliis provinciis aut regionibus in alia loca ordinetur; ut, si ali*quid mali de* quibuslibet condicionibus perpetraverit, de suis propriis rebus *exin*de quod male abstolerit iuxta legis ordine debeat restaurare.

13. Praeceptionis *nostrae per omnia im*pleantur. *Et quod per easdem* fuerit ordina*tum per subsequentia* praecepti *nullatenus an*nullatur nec de *palatio nostro tales* praeceptionis *requirantur et sicuti . . . p . . . . audien*tia *violatus . . . . statutum fuit.*

(14?) . . . . usque *transitum bonae memoriae domnorum* parentum nostrorum *Gunthramni Chilperici Sigiberthi regum . . . . si quis vero . . . . . die* ingre*di ille qui* ingredere voluerit *ubi domus possedit*, pontificium habeat usque audientiam defensare. Ecclesiarum res sacerdotum et pauperum, qui se defensare non possunt, a iudicibus publecis usque audientiam per iustitiam defensentur, salva emunitate praecidentium domnorum, quod ecclesiae aut potentum vel *cuicumque visi* sunt indulsisse pro pace atque disciplina facienda.

(15?) Si homines ecclesiarum aut potentum de causis criminalibus fuerint accusati, *agentes* eorum ab agentibus publicis *requisiti si ipsos* in audientia pu . . . . . *foris* domus ipsorum *ad iustitiam reddenda* praesentare noluerint, et distringantur, *quatenus*

eosdem debeant praesentare. Si tamen ab ipsis agentibus ante*a* *non fuerit emendatum* ita ut se *auctoritatem* . . . . qui debeant . . . . parte proficiat.

16. Quidquid parentis nostri anterioris principis vel nos per iusticia visi fuemus concessisse et confirmasse, in omnibus debeat confirmari.

17. Et *quae* unus de fidelibus ac leodebus, sua fide servandum domino legitimo, interrigna faciente visus est perdedisse, generaliter absque alico incommodo de rebus sibi iuste debetis praecepimus revestire.

18. De puellas et viduas religiosas aut sanctaemunialis qui se Deo voverant, tam que in proprias domus resedent quam qui in monastyria posete sunt, nullus nec per praeceptum nostrum conpetat nec trahere nec sibi in coniugio sociare paenitus praesumat. Et si quis exinde praeceptum eleguerit, nullum sorciatur effectum. Et si quicumque aut per virtute aut per quolibet ordine ipsas detrahere aut sibi in coniugium praesumpserit sociare, capitale sententia *feriatur*. Et si in ecclesia coniugium fecerint et illa rapta aut rapienda in hoc consentire videbitur, sequestrati ab invicem in exilio deportentur, et facultas ipsorum propinquis heredibus socielur.

19. Episcopi vero vel potentes, qui in alias possedent regionis, iudicis vel missus discursoris de alias provincias non instituant, nisi de loco, qui iusticia percipiant et aliis reddant.

20. Agentes igitur episcoporum aut potentum per potestatem nullius res collecta solacia nec auferant nec cuiuscumque contemptum per se facere non praesumant.

21. Porcarii fescalis in silvas ecclesiarum aut privatorum absque voluntate possessoris in silvas eorum ingredere non praesumant.

22. Neque ingenuos neque servus, qui cum furto non deprachinditur, ad iudicibus aut ad quemcumque interfici non debeat inauditus.

23. Et quandoquidem pastio non fuerit, unde porci debeant saginare, cellarinsis in publico non exegatur.

24. Quicumque vero haec deliberationem, quem cum pontefícibus vel tam magnis viris optematibus aut fidelibus nostris in synodale concilio instruemus, temerare praesumpserit, in ipso capitale sententia iudicetur, qualiter alii non debeant similia perpetrare.

Quam auctoritatem vel edictum perpetuis temporibus valeturum manus nostrae subscripcionibus decrevimus rovorandum. Hamingus.

Chlothacharius in Christi nomine rex hanc definitione subscripsi.

Data sub die XV. kalendas novembris, anno XXXI. regn*i* *nostri* Paris*ius*.

2. Kapitulare Karls des Grossen vom Jahre 802.

Abgedruckt aus Mon. Germ. hist. (Quartserie) LL. sectio II Capitularia regum Francorum I ed. A. Boretius (1881) S. 91—99. — Vgl. G. Waitz, Deutsche Verfassungsgesch. Band III zweite Auflage (1883) S. 485 f., 599—601; H. Brunner, Deutsche Rechtsgeschichte, Bd. I (1887) S. 377 ff. Ueber die Sprache dieses Kapitulare vgl. die Notiz bei Nr. 1.

Primum cap. De legatione a domno imperatore directa. Serenissimus igitur et christianissimus domnus imperator Karolus elegit ex optimatibus suis prudentissimis et sapientissimos viros, tam archiepiscopis quam et reliqui episcopis simulque et abbates venerabiles laicosque religiosos, et direxit in universum regnum suum, et per eos cunctis subsequentibus secundum rectam legem vivere concessit. Ubi autem aliter quam recte et iuste in lege aliquit esse constitutum, hoc diligentissimo animo exquirere iussit et sibi innotescere; quod ipse donante Deo meliorare cupit. Et nemo per ingenium suum vel astutiam perscriptam legem, ut multi solent, vel sibi suam iustitiam marrire audeat vel prevaleat, neque ecclesiis Dei neque pauperibus nec viduis nec pupillis nullique homini christiano. Sed omnes omnino secundum Dei praeceptum iusta viverent rationem iusto iudicio, et unusquisque in suo proposito vel professione unianimiter permanere ammonere: canonici vita canonica absque turpis lucris negotio pleniter observassent, sanctemoniales sub diligenti custodia vitam suam custodirent, laici et seculares recte legibus suis uterentur absque fraude maligno, omnem in invicem in caritate et pace perfecte viverent. Et ut ipsi missi diligenter perquirere, ubicumque aliquis homo sibi iniustitiam factam ab aliquo reclamasset, sicut Dei omnipotentis gratiam sibi cupiant custodire et fidelitate sibi promissa conservare; ita ut omnino in omnibus ubicumque, sive in sanctis ecclesiis Dei vel etiam pauperibus, pupillis et viduis adque cuncto populo legem pleniter adque iustitia exhiberent secundum voluntatem et timorem Dei. Et si tale aliquit esset quod ipsi per se cum comitibus provincialibus emendare et ad iustitiam reducere nequivissent, hoc absque ulla ambiguitate cum brebitariis suis ad suum referent iudicium; et per nullius hominis adulationem vel praemium, nullius quoque consanguinitatis defensione vel timore potentum rectam iustitia via inpediretur ab aliquo.

2. De fidelitate promittenda domno imperatori. Precepitque, ut omni homo in toto regno suo, sive ecclesiasticus sive laicus, unusquisque secundum votum et propositum suum, qui antea fidelitate sibi regis nomine promisissent, nunc ipsum promissum nominis cesaris faciat; et hii qui adhuc ipsum promissum non perficerunt omnes usque ad duodecimo aetatis annum similiter facerent. Et ut omnes traderetur publice, qualiter unusquisque intellegere posset, quam magna in isto sacramento et quam multa conprehensa sunt, non, ut multi usque nunc extimaverunt, tantum fidelitate domno imperatori usque in vita ipsius, et ne aliquem inimicum in suum regnum causa inimicitiae inducat, et

ne alicui infidelitate illius consentiant aut retaciat, sed ut sciant omnes istam in se rationem hoc sacramentum habere:

3. Primum, ut unusquisque et persona propria se in sancto Dei servitio secundum Dei preceptum et secundum sponsionem suam pleniter conservare studeat secundum intellectum et vires suas, quia ipse domnus imperator non omnibus singulariter necessariam potest exhibere curam et disciplinam.

4. Secundo, ut nullus homo neque cum periuri neque alii ullo ingenio vel fraude per nullius umquam adolationem vel praemium neque servum domni imperatoris neque terminum neque terram nihilque quod iure potestativo permaneat nullatenus contradicat neque abstrahere audeat vel celare; et ut nemo fugitivos fiscales suos, qui se iniuste et cum fraudes liberas dicunt, celare neque abstrahere cum periurio vel alio inienio presumat.

5. Ut sanctis ecclesiis Dei neque viduis neque orphanis neque peregrinis fraude vel rapinam vel aliquit iniuriae quis facere presumat; quia ipse domnus imperator, post Domini et sanctis eius, eorum et protector et defensor esse constitutus est.

6. Ut beneficium domni imperatoris desertare nemo audeat, propriam suam exinde construere.

7. Ut ostile bannum domni imperatori nemo pretermittere presumat, nullusque comis tam presumtiosum sit, ut ullum de his qui hostem facere debiti sunt exinde vel aliqua propinquitatis defensionem vel cuius muneris adolationem dimittere audeant.

8. Ut nullum bannum vel preceptum domni imperatori nullus omnino in nullo marrire praesumat, neque opus eius tricare vel inpedire vel minuere vel in alia contrarius fierit voluntati vel praeceptis eius. Et ut nemo debitum suum vel censum marrire ausus sit.

9. Ut nemo in placito pro alio rationare usum habeat defensionem alterius iniuste, sive pro cupiditate aliqua, minus rationare valente, vel pro ingenio rationis suae iustum iudicium marrire vel rationem suam minus valente opprimendi studio. Sed unusquisque pro sua causa vel censum vel debito ratione reddat, nisi aliquis isti infirmus aut rationes nescius, pro quibus missi vel priores qui in ipso placito sunt vel iudex qui causa huius rationis sciat rationetur con placito; vel si neccessitas sit, talis personae largitur in rationem, qui omnibus provabilis sit et qui in ipsa bene noverit causa; quod tamen omnino fiat secundum convenientiam priorum vel missorum qui praesentem adsunt. Quod et omnimodis secundum iustitiam legem fiat; adque praemium, mercedem vel aliquo malae adulationis ingenio vel defensione propinquitatis ut nullatenus iustitia quis marrire praevaleat. Et ut nemo aliquit alicui iniuste consentiat, sed omni studio et voluntate omnes ad iustitia perficiendam praeparati sunt.

Hec enim omnia supradicta imperiali sacramento observari debetur.

[Geistliche Angelegenheiten.]

10. Ut episcopi et prebiteris secundum canones vibant et itaque caeteros doceant.

11. Ut episcopi, abbates adque abbatissae, que ceteris prelati sunt, cum summa veneratione hac diligentia subiectis sibi preesse studeat, non potentiva dominationem vel tyrannide sibi subiectos premant, sed simplici dilectionem cum mansuetudinem et caritatem vel exemplis bonorum operum commissa sibi grege sollicite custodiant.

12. Ut abbate, ubi monaci sunt, pleniter cum monachis secundum regula vibant adque canones diligenter discant et observent; similiter abbatissae faciant.

13. Ut episcopi, abbates adque abbatissae advocatos adque vicedomini centenariosque legem scientes et iustitiam diligentes pacificosque et mansuetus habeant, qualiter per illosque sanctae Dei ecclesiae magis profectum vel merces adcrescat; quia nullatenus neque praepositos neque advocatos damnosus et cupidus in monasteria habere volumus, a quibus magis nos blasphemia vel detrimenta oriantur. Sed tales sint, quale eos canonica vel regularis institutio fieri iubet, voluntati Dei subditos et ad omnes iustitia perficiendi semper paratos, legem pleniter observantes absque fraude maligno, iustum semper iudicium in omnibus exercentes, praepositos vero tales, quales sancta regula fieri docet. Et hoc omnino observent, ut nullatenus . . . . [verderbt] a canonica vel regulari norma discendant, sed humilitatem in omnibus habeant. Si autem aliter praesumserint, regulare disciplina sentiant; et si se emendare noluerit, a praepositum removeantur, et qui digni sunt in loca eorum subrogentur.

14. Ut episcopi, abbates adque abbatissae comiteque unanimi invicem sint, consentientes legem ad iudicium iustum terminandum cum omni caritate et concordia pacis, et ut fideliter vivant secundum voluntate Dei, ut semper ubique et propter illos et inter illos iustum iudicium ibique perficiantur. Pauperes, viduae, orphani et peregrini consolationem adque defensionem hab eis habent; ut et nos per eorum bona voluntatem magis premium vitae eternae quam supplicium moreamur.

15. Abbates autem et monachis omnis modis volumus et precipimus, ut episcopis suis omni humilitate et hobhedientia sint subiecti, sicut canonica constitutione mandat. Et omnis eclesiae adque basilicae in eclesiastica defensione et potestatem permaneat. Et de rebus ipse basilicae nemo ausus sit in divisione aut in sorte mittere. Et quod semel offeritur, non revolvatur et sanctificetur et vindicetur. Et si autem aliter praesumpserit, presolvatur et bannum nostrum conponat. Et monachi ab episcopo provinciae ipsius corripiantur; quod si se non emendent, tunc archiepiscopus eos ad sinodum convocet; et si neque sic se correxerint, tunc ad nostra praesentiam simul cum episcopo suo veniant.

16. De ordinatione elegenda, ut domnus imperator iam olim

ad Francorum banno concessit ut episcopi abbatibus [wol zu corr.: concessit episcopis et abbatibus], ita etiam nunc et firmavit; eo tamen tinore, ut neque episcopus neque abbas in monasterio viliores meliori plus diligit et eum sibi propter consanguinitatem suam vel aliqua adolationem melioribus suis praeferre studeat, et talem nobis ducere ordinandum, cum meliorem eo habet occultato et oppressu; quod nequaquam fieri volumus, quia inrisio et delusio nostra hoc fieri videtur. Sed talis in monasteriis nutriantur ad ordinandum, in quo et nobis et merces et profectus adcrescat commendatoribus suis.

17. Monachi autem, ut firmiter ac fortiter secundum regula vivant, quia displicere Deo novimus quisqnis in sua voluntate tepidus est, testante Iohanne in apocalypsin: 'Utinam calidus esse aut frigidus: sed quia tepidus es, incipian te evomere ex ore meo'. Seculare sibi negotium nullatenus usurpent. Foris monasterio nequaquam progrediendi licentiam habeant, nisi maxima cogente necessitatem; quod tamen episcopus, in cuius diocese erunt, omnino praecuret, ne foris monasterio vagandi usum habeant. Sed si necessitas sit aliquam obhedientiam aliquis foris pergere et hoc cum consilio et concertum episcopi fiat, et tales personae cum testimonium foris mittantur in quibus nulla sit suspitio mala vel a quibus nulla oppinio mala oriatur. Foris vero peculium vel res monasterii abbas cum episcopi sui licentiam et consilium ordinet qui praevideat, non monachum, nisi alium fidelem. Quaestum verum seculare vel concupiscentia mundanarum rerum omnismodis devitent; qui avaritia vel concupiscentia huius mundi omnibus est devetanda christiani, maxime tamen in his qui mundo et concupiscentiis abrenuntiasse videtur. Lites et contentiones nequaquam, neque infra neque foris monasterio, movere presumat. Qui autem presumserit, gravissima disciplina regulari corripiantur, et taliter caeteri metum habeant talia perpetranda. Ebrietatem et commessationem omnino fugiant, quia inde libidine maxime polluari omnibus notum est. Nam pervenit ad aures nostras oppinio perniciosissima, fornicationes et in habhominatione et inmunditia multas iam in monasteriis esse deprehensos. Maxime contristat et conturbat, quod sine errore magno dici potest, ut unde maxima spe salutis omnibus christianis orriri crederent, id est de vita et castitate monachorum, inde de trimentum, ut aliquis ex monachus sodomitas esse auditum. Unde etiam rogamus et contextamur, ut certissime amplius ex his diebus omni custodia se ex his malis conservare studeant, ut numquam amplius tale quid aures nostras perveniat. Et hoc omnibus notum sit, quia nullatenus in ista mala in nullo loco amplius in toto regno nostro consentire audeamus; quanto minus quidem inter eos qui castitatis et sanctimoniae emendatiores esse cupimus. Certe si amplius quid tale ad aures nostras pervenerit, non solum in eos, sed etiam et in ceteris, qui in talia consentiant, talem ultionem facimus, ut nullus christianus qui hoc audierit nullatenus tale quid perpetrare amplius presumserit.

18. Monasteria puellarum firmiter observata sint, et nequaquam vagare sinantur, sed cum omni diligentia conserventur, neque litigationes vel contentione inter se movere praesumat, neque in nullo magistris et abbatissis inhobedientes vel contrariae fieri audeant. Ubi autem regulares sunt, omnino secundum regula observent, ne fornicatione deditae, non ebrietatis, non cupiditati servientes, sed omnimodis iuste et sobrie vivant. Et ut in claustra vel monasterium earum vir nullus intret, nisi presbiter propter visitationem infirmarum cum testimonio intret, vel ad missam tantum, et statim exeat. Et ut nemo alterius filiam suam in congregationem sanctemonialium recipiat absque notitia vel consideratione episcopi ad cuius diocense pertinet locus ille; et ut ipse diligenter exquirat, qualiter in sancto ad Dei servitio permanere cupiat, et stabilitatem suam ibidem firmare vel professionem. Ancilla autem aliorum hominum, vel tales feminas quae secundum more conversationis in sancta congregatione vivere volunt [wol zu corr.: nolunt], omnes pleniter de congregatione eiciantur.

19. Ut episcopi, abbates, presbiteri, diaconus nullusque ex omni clero canes ad venandum aut acceptores, falcones seu sparvarios habere presumant, sed pleniter se unusquisque in ordine suo canonice vel regulariter custodiant. Qui autem presumserit, sciat unusquisque honorem suum perdere. Caeteri vero tale exinde damnum patiatur, ut reliqui metum habeant talia sibi usurpare.

20. Ut abbatissae una cum sanctimonialibus suis se unianimiter aut diligenter infra claustra se custodiant et nullatenus foris claustra ire praesumant. Sed abbatissae, cum prop*osuerint* aliquas de sanctimonialibus dirigere, hoc nequaquam absque licentiam et consilium episcopi sui faciant. Similiter et cum ordinationem aliqua in monasteriis agere debeant vel aliquas in monasteriis receptiones facere, et hoc cum episcopis suis pleniter antea retractent; et quod salubrius vel utilius fieri disponat, episcopi archiepiscopo annuntient, et cum eius consilio quae agenda sunt perficiantur.

21. Ut presbiteros ac caeteros canonicos, quos comites sui in ministeriis habent, omnino eos episcopis suis subiectos exhibeant, ut canonica institutio iubet; de his episcopis suis pleniter sub sancta disciplina eos erudire sint consentientes, sicut nostra gratia vel suos honores habere desiderant.

22. Canonici autem pleniter vitam obserbent canonicam, et domo episcopali vel etiam monasteria cum omni diligentiam secundum canonica disciplina erudiantur. Nequaquam foris vagari sinantur, sed sub omni custodia vibant, non turpis lucri dediti, non fornicarii, non fures, non homicides, non raptores, non litigiosi, non iracundi, non elati, non ebriosi, sed casti corde et corpore, humiles, modesti, sobrii, mansueti, pacifici, ut filii Dei digni sint ad sacro ordine promovere; non per vicos neque per villas ad ecclesiam vicinas vel terminantes sine magisterio vel disciplina, qui sarabaiti dicuntur, luxoriando vel fornicando vel etiam caetera iniqua operando, quae consentiri absordum est.

23. Presbiteri cleros quos secum habent sollicite praevideant, ut canonice vivant: non inanis lusibus vel conviviis secularibus vel canticis vel luxoriosis usum habeant; sed caste et salubre vivant.

24. Si quis autem presbiter sive diaconos, qui post hoc in domo sua secum mulieres extra canonicam licentiam habere presumserit, honorem simul et hereditatem privetur usque ad nostram presentiam.

[Weltliche Angelegenheiten.]

25. Ut comites et centenarii ad omnem iustitiam faciendum conpellent et iuniores tales in ministeriis suis habeant, in quibus securi confident, qui legem adque iustitiam fideliter observent, pauperes nequaquam oppriment, fures latronesque et homicidas, adulteros, malificos adque incantatores vel auguriatrices omnesque sacrilegos nulla adulatione vel praemium nulloque sub tegimine celare audeat, sed magis prodere, ut emendentur et castigentur secundum legem, ut Deo largiente omnia haec mala a christiano populo auferatur.

26. Ut iudices secundum scriptam legem iuste iudicent, non secundum arbitrium suum.

27. Precipimusque ut in omni regno nostro neque divitibus neque pauperibus neque peregrinis nemo hospitium denegare audeat, id est sive peregrinis propter Deum perambulantibus terram sive cuilibet iteranti propter amorem Dei et propter salutem animae suae tectum et focum et aquam illi nemo deneget. Si autem amplius eis aliquid boni facere voluerit, a Deo sibi sciat retributionem optimam, ut ipse dixit: 'Qui autem susceperit unum parvulum propter me, me suscepit', et alibi: 'Hospes fui et suscepistis me'.

28. De legationibus a domno imperatore venientibus. Missis directis ut comites et centenarii praevideant omni sollicitudine, sicut gratia domni imperatori cupiunt, ut absque ulla mora eant per ministeria eorum, omnibusque omnino praecepit, quia hoc debiti sunt praevidere, ut nullam moram nusquam patiatur, sed cum omni festinatione eos faciant ire viam suam, et taliter providentiam suam habeant, ut missi nostri disponant.

29. De pauperinis vero, qui in sua elymosyna domnus imperator concedit qui pro banno suo solvere debent, ut eos iudices, comites vel missi nostri pro concesso non habeant constringere parte sua.

30. De his quos vult domnus imperator, Christo propitio, pacem defensionem habeant in regno suo, id sunt qui ad suam clementiam festinant, aliquo nuntiare cupientes sive ex christianis sive ex paganis, aut propter inopia vel propter famem suffragantia quaerunt, ut nullus eos sibi servitio constringere vel usurpare audeant neque alienare neque vindere; sed ubi sponte manere voluerint, sub defensione domni imperatoris ibi habeant subfragia in sua elymosina. Si quis hoc transgredere praesumpserit, sciant se exinde damnum pati vitam praesumptiosus dispositum [wol zu

corr.: pati, qui tam praesumptiosus dispoxit] iussa domnum imperator [zu corr.: domni imperatoris].

31. Et his qui iustitiam domni imperatoris annuntiant nihil lesiones vel iniuria quis machinare praesumat neque aliquid inimicitiae contra eos movere. Qui autem praesumpserit, bannum dominicum solvat, vel, si maioris debiti reus sit, ad sua praesentia perduci iussum est.

32. Homicidia, pro quibus multitudo perit populi christiani, omni contextatione deserere ac vetare mandamus; qui ipse Dominus odia et inimicitie suae fidelibus contradixit, multommagis homicidia. Quomodo enim secum Deum placatum fore confidit, qui filium suum proximum sibi occiderit? Qualiter vero Christum dominum sibi propitium esse arbitretur, qui fratrem suum interficerit? Magnum quoque et inhabitaculum periculum est cum Deo patre et Christo coeli terrae dominatore, inimicitias hominum movere; quos aliquit tempus latitando effugere potest, sed tamen casu aliquando in manus inimicorum suorum incidit; Deum autem ubi effugere valet, cui omnia secreta manifesta sunt? qua temeritate eius iram quis extimat evadere? Quapropter ne populus nobis ad regendum commissos hoc malo pereat, hoc omni disciplina devitare previdimus; quia nos nullo modo placatum vel propitius habere, qui sibi Deum iratum non formidaverit, sed saevissima districtione vindicare vellimus qui malum homicidii ausus fuerit perpetrare. Tamen ne etiam peccatum adcrescat, ut inimicitia maxima inter christianos non fiat, ubi suadentes diabulo homicidia contingant statim reus ad suam emendationem recurrat totaque celeritate perpetratum malum ad propinquos extincti digna conpositionem emendet. Et hoc firmiter banniamus, ut parentes interfecti nequaquam inimititia super commissum malum adaugere audeant neque pacem fieri petenti denegare, sed datam fidem paratam compositionem recipere et pacem perpetuam reddere, reum autem nulla moram compositionis facere. Ubi autem hoc peccatorum merito contingerit, ut quis vel fratres vel propinquum suum occiderit, statim se ad penitentia sibi compositam sumit, et ita ut episcopus eius sibi disponat absque ulla ambiguitate; sed iuvante Domino perficere suum remedium studeat, et componat occisum secundum legem et cum propinquis suis se omnino complaceat, et data fidem ullam inimicitiam exinde movere nemo audeat. Qui autem digna emendationem facere contemserit, hereditatem privetur usque ad iudicium nostrum.

33. Incestuosum scelus omnino prohibemus. Si quis nefanda autem fornicatione contaminatus fuerit, nulllatenus sine districtione gravi relaxetur, sed taliter ex hoc corripiantur, ut caeteri metum habeant talia perpetrandi, ut auferetur penitus et inmunditia populo christiano, et ut reus ex hoc per poenitentia ammittat pleniter, sicut ei ab episcopo suo disponatur; et eadem femina in manus parentum sit constituta usque ad iudicium nostrum. Si autem iudicium episcopi ad suam emendationem consentire no-

luerit, tunc ad nostra presentia perducantur, memores exemplo quod de incestis factum est quod Fricco perpetravit in sanctimoniali Dei.

34. Ut omnes pleniter bene parati sint, quandocunque iussio nostra vel annuntiatio advenerit. Si quis autem tunc se inparatum esse dixerit et praeterierit mandatum, ad palatium perducatur; et non solum ille, sed etiam omnes qui bannum vel praeceptum nostrum transgredere praesumunt.

35. Ut omnes omnino episcopus et presbiteros suos omni honore venerentur in servitio et voluntate Dei. Ne incestis nuptiis et se ipsos et caeteros maculare audeant; coniunctiones facere non praesumat, antequam episcopi, presbyteri cum senioribus populi consanguinitatem coniungentium diligenter exquirant; et tunc cum benedictionem iungantur. Ebrietatem devitant, rapacitatem fugiant, furtum non faciant; lites et contentiones adque blasphemia, sive in conviviis sive in conplacito, omnino devitentur, sed cum caritate et concordia vibant.

36. Et ut omnes omnino ad omnem iustitia exsequenda et missis nostris sint consentientes. Et usum periurii omnino non permittant, qui hoc pessimum scelus christiano populo auferre necesse est. Si quis autem post hoc in periurio probatus fuerit, manum dextera se perdere sciat; tamen hereditatem propria priventur usque ad nostrum iudicium.

37. Ut hii, qui patricidia vel fratricidia fecerit, avunculum, patruum vel aliquem ex propinquis occiderint, et iudicium episcoporum, presbiterorum caeterorumque iudicium obhedire et consentire noluerint, quod ad salutem animae suae iustumque iudicium solvendum missi nostri et comitis in tali custodia coartent, ut salvi sint nec caeterum populum quoinquinent usque dum in nostra presentia perducatur; et de res propria sua interim nihil habeant.

38. Similiter et his fiat, qui inlicitis et incestis coniunctionibus reprehensi sunt correcti et nec se emendare volunt neque episcopis neque presbiteris suis obtemperare et bannum nostrum praesumunt contempnere.

39. Ut in forestes nostras feramina nostra nemine furare audeat, quod iam multis vicibus fieri contradiximus; et nunc iterum banniamus firmiter, ut nemo amplius faciat, sicut fidelitatem nobis promissa unusquisque conservare cupiat, ita sibi caveat. Si quis autem comis vel centenarius aut bassus noster aut aliquis de ministerialibus nostris feramina nostra furaverit, omnino ad nostra presentia perducantur ad rationem. Caeteris autem vulgis, qui ipsum furtum de feraminibus fecerit, omnino quod iustum est conponat, nullatenusque eis exinde aliquis relaxetur. Si quis autem hoc sciente alicui perpetratum, in ea fidelitate conservatam, quam nobis promiserunt et nunc promittere habent, nullus hoc celare audeat.

40. Novissime igitur ex omnibus decretis nostris nosse cu-

pimus in universo regno nostro per missos nostros nunc directos, sive inter ecclesiasticos viros, episcopos, abbates, presbiteros, diaconus, canonicos, omnes monachos sive sanctimoniales, qualiter unusquisque in suum ministerium vel professione nostrum bannum vel decretum habeat conservatum, vel ubi civibus ex his dignum sit ex bona voluntate sua gratias agere vel adiutoria inpendere vel ubi aliquid adhuc sit necessitatis emendare. Simili autem laicos et in omnibus ubicumque locis, si de mundeburde sanctorum ecclesiarum vel etiam viduarum et orphanorum seu minimum potentium adque rapina necnon de exercitali placito instituto et super ipsis causis, qualiter preceptum vel voluntate nostrae sint obhedientes, vel etiam qualiter bannum nostrum habeat conservatum, qualiterque super omnia unusquisque certamen habeat in sancto servitio Deo seipsum custodire: ut hec omnia bona et bene sint ad Dei omnipotentis laudem, et gratias referamus, ubi dignum est; ubi autem aliquid inultum esse credimus, sic ad emendandum omne studio et voluntate certamen habeamus, ut cum Dei adiutorio hoc ad emendationem perducamus et ad nostra eterna mercedem et omnium fidelium nostrum. Similiter et de comitibus vel centenariis, ministerialibus nostris, inter nos omnia supradicta nosse cupimus feliciter.

3. Reichsteilungs- und Hausgesetz vom Jahre 817 (divisio imperii).

Abgedruckt aus Mon. Germ. LL. I (1835) S. 198–200. — Vgl. B. Simson, Jahrbücher des fränkischen Reichs unter Ludwig dem Frommen I, (1874) S. 100—110 und Böhmer-Mühlbacher, Regesten des Kaiserreichs unter den Karolingern Bd. I, S. 243 (Nr. 628).

In nomine domini Dei et salvatoris nostri Iesu Christi. Hludowicus divina ordinante providentia imperator augustus. Cum nos in Dei nomine anno incarnationis Domini octingentesimo septimo decimo, indictione decima, annoque imperii nostri quarto, mense iulio, Aquisgrani palatio nostro more solito sacrum conventum et generalitatem populi nostri propter ecclesiasticas vel totius imperii nostri utilitates pertractandas congregassemus et in his studeremus, subito divina inspiratione actum est, ut nos fideles nostri ammonerent, quatenus, manente nostra incolomitate et pace undique a Deo concessa, de statu totius regni et de filiorum nostrorum causa more parentum nostrorum tractaremus. Sed quamvis haec admonitio devote ac fideliter fieret, nequaquam nobis nec his, qui sanum sapiunt, visum fuit, ut amore filiorum aut gratia unitas imperii a Deo nobis conservati divisione humana scinderetur, ne forte hac occasione scandalum in sancta ecclesia oriretur, et offensam illius, in cuius potestate omnium iura regnorum consistunt, incurreremus. Idcirco necessarium duximus, ut ieiuniis et orationibus et elemosinarum largitionibus apud illum obtineremus, quod nostra infirmitas non

praesumebat. Quibus rite per triduum celebratis nutu omnipotentis Dei ut credimus actum est, ut et nostra et totius populi nostri in dilecti primogeniti nostri Hlutharii electione vota concurrerent. Itaque taliter divina dispensatione manifestatum placuit et nobis et omni populo nostro, more solemni imperiali diademate coronatum nobis et consortem et successorem imperii, si Dominus ita voluerit, communi voto constitui. Ceteros vero fratres eius, Pippinum videlicet et Hludowicum aequivocum nostrum, communi consilio placuit regiis insigniri nominibus et loca inferius denominata constituere, in quibus post decessum nostrum sub seniore fratre regali potestate potiantur iuxta inferius adnotata capitula, quibus, quam inter eos constituimus, conditio continetur. Quae capitula propter utilitatem imperii et perpetuam inter eos pacem conservandam et totius ecclesiae tutamen cum omnibus fidelibus nostris considerare placuit et considerata conscribere et conscripta propriis manibus firmare, ut Deo opem ferente, sicut ab omnibus communi voto actum est, ita communi devotione a cunctis inviolabiliter conserventur ad illorum et totius populi christiani perpetuam pacem; salva in omnibus nostra imperiali potestate super filios et populum nostrum, cum omni subiectione, quae patri a filiis et imperatori ac regi a suis populis exhibetur.

1. Volumus, ut Pippinus habeat Aequitaniam et Wasconiam et markam Tolosanam totam et insuper comitatos quatuor, id est in Septimania Carcassensem et in Burgundia Augustudunensem et Avalensem et Nivernensem.

2. Item Hludowicus volumus ut habeat Baioariam et Carentanos et Beheimos et Avaros atque Sclavos, qui ab orientali parte Baioariae sunt, et insuper duas villas dominicales ad suum servitium in pago Nortgaoe Luttraof et Ingoldesstat.

3. Volumus, ut hi duo fratres, qui regis nomine censentur, in cunctis honoribus intra suam potestatem distribuendis propria potestate potiantur; tantum ut in episcopatibus et abbatiis ecclesiasticus ordo teneatur, et in ceteris honoribus dandis honestas et utilitas servetur.

4. Item volumus, ut semel in anno, tempore oportuno, vel simul vel singillatim, iuxta quod rerum conditio permiserit, visitandi et videndi et de his, quae necessaria sunt et quae ad communem utilitatem vel ad perpetuam pacem pertinent, mutuo fraterno amore tractandi gratia ad seniorem fratrem cum donis suis veniant. Et si forte aliquis illorum qualibet inevitabili necessitate impeditus venire tempore solito et oportuno nequiverit, hoc seniori fratri legatos et dona mittendo significet; ita dumtaxat, ut cum primum possibilitas congruo tempore adfuerit, venire qualibet cabillatione non dissimulet.

5. Volumus atque monemus, ut senior frater, quando ad eum aut unus aut ambo fratres sui cum donis, sicut praedictum est, venerint, sicut ei maior potestas Deo annuente fuerit adtributa, ita et ipse illos pio fraternoque amore largiori dono remuneret.

6. Volumus atque iubemus, ut senior frater iunioribus fratribus suis, quando contra exteras nationes auxilium sibi ferre rationabiliter expetiverint, iuxta quod ratio dictaverit et temporis oportunitas permiserit, vel per se ipsum vel per fideles missos et exercitus suos oportunum eis auxilium ferat.

7. Item volumus, ut nec pacem nec bellum contra exteras et huic a Deo conservato imperio inimicas nationes absque consilio et consensu senioris fratris ullatenus suscipere praesumant. Impetum vero ostium subito insurgentium vel repentinas incursiones iuxta vires per se repellere studeant.

8. De legatis vero, si ab exteris nationibus vel propter pacem faciendam vel bellum suscipiendum, vel civitates aut castella tradenda vel propter alias quaslibet maiores causas directi fuerint, nullatenus sine senioris fratris conscientia ei respondeant vel eos remittant. Si autem ad illum de quacumque parte missi directi fuerint, ad quemlibet illorum primo pervenerint, honorifice eos cum fidelibus missis usque ad eius praesentiam faciat pervenire. De levioribus sane causis iuxta qualitatem legationis per se respondeant. Illud tamen monemus, ut quomodocumque se res in confinibus eorum habuerint, semper ad senioris fratris notitiam perferre non neglegant, ut ille semper sollicitus et paratus inveniatur, ad quaecumque necessitas et utilitas regni postulaverit.

9. Praecipiendum etiam nobis videtur, ut post decessum nostrum uniuscuiusque vasallus tantum in potestate domini sui beneficium propter discordias evitandas habeat et non in alterius. Proprium autem suum et hereditatem, ubicumque fuerit, salva iustitia cum honore et securitate secundum suam legem unusquisque absque iniusta inquietudine possideat; et licentiam habeat unusquisque liber homo, qui seniorem non habuerit, cuicumque ex his tribus fratribus voluerit, se commendandi.

10. Si autem, et quod Deus avertat et quod nos minime obtamus, evenerit, ut aliquis illorum propter cupiditatem rerum terrenarum, quae est radix omnium malorum, aut divisor aut oppressor ecclesiarum vel pauperum extiterit, aut tyrannidem, in qua omnis crudelitas consistit, exercuerit, primo secreto secundum Domini praeceptum per fideles legatos semel bis et ter de sua emendatione commoneatur; ut si his renisus fuerit, accersitus a fratre coram altero fratre paterno et fraterno amore moneatur et castigetur. Et si hanc salubrem admonitionem penitus spreverit, communi omnium sententia quid de illo agendum sit decernatur; ut quem salubris ammonitio a nefandis actibus revocare non potuit, imperialis potentia communisque omnium sententia coherceat.

11. Rectores vero ecclesiarum de Francia talem potestatem habeant rerum ad illas pertinentium sive in Aquitania sive in Italia sive in aliis regionibus ac provintiis huic imperio subiectis, qualem tempore genitoris nostri habuerunt vel nostro habere noscuntur.

12. De tributis vero et censibus vel metallis, quicquid in

eorum potestate exigi vel haberi potuerit, ipsi habeant, ut ex his in suis necessitatibus consulant et dona seniori fratri deferenda melius praeparare valeant.

13. Volumus etiam, ut si alicui illorum post decessum nostrum tempus nubendi venerit, ut cum consilio et consensu senioris fratris uxorem ducat. Illud tamen propter discordias evitandas et occasiones noxias auferendas cavendum decernimus, ut de exteris gentibus nullus illorum uxorem accipere praesumat. Omnium vero homines propter pacem artius conligandam, ubicumque inter partes elegerint, uxores ducant.

14. Si vero aliquis illorum decedens legitimos filios reliquerit, non inter eos potestas ipsa dividatur; sed potius populus pariter conveniens unum ex eis, quem Dominus voluerit, eligat; et hunc senior frater in loco fratris et filii suscipiat et honore paterno sublimato hanc constitutionem erga illum modis omnibus conservet. De ceteris vero liberis pio amore pertractent, qualiter eos more parentum nostrorum salvent et cum consilio habeant.

15. Si vero absque legitimis liberis aliquis eorum decesserit, potestas illius ad seniorem fratrem revertatur. Et si contigerit illum habere liberos ex concubinis, monemus, ut erga illos misericorditer agat.

16. Si vero alicui illorum contigerit nobis decedentibus ad annos legitimos iuxta Ribuariam legem nondum pervenisse, volumus, ut donec ad praefinitum annorum terminum veniat, quemadmodum modo a nobis, sic a seniore fratre et ipse et regnum eius procuretur atque gubernetur. Et cum ad legitimos annos pervenerit, iuxta taxatum modum sua potestate in omnibus potiatur.

17. Regnum vero Italiae eo modo praedicto filio nostro, si Deus voluerit, ut successor noster exsistat, per omnia subiectum sit, sicut et patri nostro fuit et nobis Deo volente praesenti tempore subiectum manet.

18. Monemus etiam totius populi nostri devotionem et sincerissimae fidei pene apud omnes gentes famosissimam firmitatem, ut si is filius noster, qui nobis divino nutu successerit, absque legitimis liberis rebus humanis excesserit, propter omnium salutem et ecclesiae tranquillitatem et imperii unitatem in elegendo uno ex liberis nostris, si superstites fratri suo fuerint, eam quam in illius electione fecimus conditionem imitentur; quatenus in eo constituendo non humana, sed Dei quaeratur voluntas adimplenda.*

---

* Eine Rekonstruktion des Vertrags von Verdun (843), von welchem bekanntlich der Text der Originalausfertigung nicht erhalten ist, glaubten wir nicht aufnehmen zu dürfen. — Vgl. Böhmer-Mühlbacher, Regesten des Kaiserreichs unter den Karolingern I., S. 412 ff. (Nr. 1069[a]).

4a. Vertrag zu Aachen zwischen Ludwig II. und Karl dem Kahlen über die Teilung des Reiches Lothars II. 870.

Abgedruckt aus Mon. Germ. LL. I (1835), S. 516. — Vgl. E. Dümmler, Geschichte des ostfränkischen Reiches, 2. Aufl. (1889) Bd. II S. 294 und Böhmer-Mühlbacher, Regesten des Kaiserreichs unter den Karolingern Bd. I, S. 569 (Nr. 1433b).

Anno incarnationis Domini nostri Jesu Christi 870, indictione 3, pridie nonas martii, anno 32. Karoli gloriosi regis Aquisgrani palatio hae pactiones inter ipsum et Hludowicum regem fratrem ipsius factae sunt.

Ingelramnus comes ex parte Karoli regis:

Sic promitto ex parte senioris mei, quod senior meus Karolus rex fratri suo Hludowico regi talem portionem de regno Hlotharii regis consentit habere, qualem aut ipsi iustiorem et plus aequaliorem aut communes fideles eorum inter se invenerint. Nec eum in ipsa portione vel in regno, quod antea tenuit, per aliquam fraudem vel subreptionem decipiet aut forconsiliabit, si frater suus Hludowicus eandem firmitatem et fidelitatem, quam ex parte senioris mei illi habeo promissam, iste frater suus Hludowicus seniori meo ex parte sua, quandiu vixerit, inviolabiliter servaverit.

Item Leutfridus comes ex parte Hludowici regis:

Sic promitto ego ex parte senioris mei, quod senior meus Hludowicus rex fratri suo Karolo regi talem portionem de regno Hlotharii regis consentit habere, qualem aut ipsi iustiorem aut plus aequaliorem aut communes fideles eorum inter se invenerint. Nec eum in ipsa portione vel in regno, quod antea tenuit, per aliquam fraudem vel subreptionem decipiet aut forconsiliabit, si frater suus Karolus eandem firmitatem et fidelitatem, quam ex parte senioris mei illi habeo promissam, iste frater suus Karolus seniori meo ex sua parte, quandiu vixerit, inviolabiliter servaverit.

Haec eadem tertius Theodoricus comes ex parte gloriosi regis Karoli et quartus Radulfus comes ex parte Hludowici prosecuti sunt.

Isti praesentes fuerunt: Leutbertus archiepiscopus, Altfridus episcopus, Odo episcopus, Adalelmus comes, Ingelramnus comes, Liutfridus comes, Theodoricus comes, item Adalelmus comes.

4b. Teilung des Reiches Lothars II. 870 (Vertrag von Mersen).

Abgedruckt aus M. G. LL. I (1835) S. 516 f. — Vgl. E. Dümmler ib. Bd. II, S. 296—300 und Böhmer-Mühlbacher, ib. I S. 571 f. (Nr. 1437).

Anno incarnationis dominicae 870, regni Karoli 33, indictione 3, 6. idus augusti inter gloriosos reges Karolum et Hludowicum fuit haec divisio regni facta in procaspide super fluvium Mosam.

Et haec portio, quam sibi Hludowicus accepit:

Coloniam, Treviris, Uttrecht, Strastburg, Basulam; abbatiam Suestre, Berch, Niu-Monasterium, Castellum, Indam, sancti Maxi-

mini, Ephterniacum, Horream, sancti Gangulfi, Faverniacum, Pollemniacum, Luxoium, Luteram, Balmam, Offonis villam, Meieni monasterium, sancti Deodati, Bodonis monasterium, Stivagium, Romerici montem, Morbach, sancti Gregorii, Mauri monasterium, Eboresheim, Hoinowa, Masonis monasterium, Hoinborch, sancti Stephani Strastburch, Erenstein, sancti Ursi in Salodoro, Grandivallem, Altam petram, Lustenam, Vallem Clusae, Castellum Carnonis, Heribodesheim, abbatiam de Aquis, Hoenchirche, Augstchirche; comitatus Testrabant, Batua, Hattuarias, Masau subterior de ista parte, item Masau superior quod de illa parte est, Liguas quod de ista parte est, districtum Aquense, districtum Trectis, in Ripuarias comitatus quinque, Megenensium, Bedagowa, Nitachowa, Sarachowa subterior, Blesitchowa, Selme, Albechowa, Suentisium, Calmontis, Sarachowa superior, Odornense quod Bernardus habuit, Solocense, Basiniacum, Elischowe, Warasch, Scudingum, Emaus, Basalchowa in Elisatio comitatus duos, de Frisia duas partes de regno, quod Lotharius habuit. Super istam divisionem propter pacis et charitatis custodiam superaddimus istam adiectionem: civitatem Mettis cum abbatia sancti Petri et sancti Martini et comitatu Moslensi, cum omnibus villis in eo consistentibus, tam dominicatis quam et vasallorum; de Arduenna, sicut flumen Urta surgit inter Bislanc et Tumbas ac decurrit in Mosam, et sicut recta via pergit in Bedensi, secundum quod communes nostri missi rectius invenerint — excepto quod de Condrusto est ad partem orientis trans Urtam — et abbatias Prumiam et Stabolau, *cum* omnibus villis dominicatis et vassallorum.

Et haec est divisio, quam Karolus de eodem regno sibi accepit:

Lugdunum, Vesontium, Vienna, Tungris, Tullum, Viridunum, Cameracum, Vivarias, Ucetiam, Montemfalconis, sancti Michaelis, Gillini monasterium, sanctae Mariae in Bisantione, sancti Martini in eodem loco, sancti Augentii, sancti Marcelli, sancti Laurentii Leudensi, Sennonem, abbatiam Niellam, Molburium, Laubias, sancti Gaugerici, sancti Salvii, Crispinno, Fossas, Marilias, Hunulficurt, sancti Servatii, Maalinas, Ledi, Sunniacum, Antonium, Condatum, Mesrebecchi, Tidivinni, Lutosa, Calmontis, sanctae Mariae in Deomant, Echa, Adana, Wasloi, Altum-Montem; comitatus Texandrum, in Bracbanto comitatus quatuor, Cameracensem, Hainoum, Lomensem, in Hasbanio comitatus quatuor, Masau superior de ista parte Mosae, Masau subterior de ista parte, Liugas quod de ista parte est Mosae et pertinet ad Veosatum, Scarponinse, Viridunense, Dulmense, Arlon, Wavrense comitatus duos, Mosminse, Castricium, Condrust, de Arduenna, sicut flumen Urta surgit inter Bislanc et Tumbas ac decurrit ex hac parte in Mosam, et sicut recta via ex hac parte occidentis pergit in Bedensi, secundum quod missi nostri rectius invenerint; Tullense, aliud Ordonense quod Tetmarus habuit, Barrense, Portense, Salmoringum, Lugdunense, Viennense, Vivarias, Uccericium, de Frisia tertiam partem.

5. Friedrichs II Confoederatio cum principibus ecclesiasticis. Frankfurt 1220 April 26.

Abgedruckt aus Mon. Germ. hist. (Folioserie) LL. II (1837) S. 236 f. Die in eckige Klammern eingeschlossenen Worte finden sich nur in der aus der Kölner Diözese stammenden Fassung des Privilegs, nicht in der aus der Mainzer Diözese stammenden. — Vgl. (Jahrbücher der deutschen Geschichte) E. Winkelmann, Kaiser Friedrich II Bd. I (1889) S. 64 ff.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus Dei gratia Romanorum rex semper augustus et rex Sicilie omnibus in perpetuum. Digna recolentes animadversione, quanta efficacia et fide dilecti fideles nostri principes ecclesiastici nobis hactenus astiterunt, ad culmen imperii nos promovendo, promotos in ipso firmando, et demum filium nostrum Heinricum in regem sibi et dominum benivole atque concorditer eligendo, censuimus eos per quos promoti sumus semper promovendos et per quos firmati sumus una cum ipsorum ecclesiis semper fore nostra defensione contra noxia queque firmandos.

Igitur quia in eorum gravamina quedam consuetudines et ut verius dicamus abusiones ex longa perturbatione imperii, que per Dei graciam nunc quievit et quiescit, inoleverant in novis theloneis, in monetis, que se invicem ex similitudinibus ymaginum destruere consueverant, in guerris advocatorum et aliis malis, quorum non est numerus, statutis quibusdam eisdem abusionibus obviamus:

1. Primo promittentes, quod numquam deinceps in morte cuiusquam principis ecclesiastici reliquias suas fisco vendicabimus. Inhibentes etiam, ne laicus quisquam aliquo pretextu sibi eas vendicet, set cedant successori, si antecessor intestatus decesserit. Cuius testamentum, si quod inde fecerit, volumus esse ratum. [Si quis vero contra hanc constitucionem reliquias sibi vendicare presumpserit, proscriptus et exlex habeatur et feodo sive beneficio, si quod habet, permaneat destitutus.]

2. Item nova thelonea et novas monetas in ipsorum territoriis sive iurisdictionibus, eis inconsultis seu nolentibus, non statuemus de cetero; set antiqua thelonea et iura monetarum eorum ecclesiis concessa, inconvulsa et firma conservabimus et tuebimur; nec ipsi ea infringemus nec ab aliis ledi permittemus modis aliquibus, utpote monete turbari et vilificari solent similitudinibus ymaginum, quod penitus prohibemus.

3. Item homines quocumque genere servitutis ipsis attinentes quacumque causa se ab eorum obsequiis alienaverint, in nostris civitatibus non recipiemus in eorum preiudicium; et idem ab ipsis inter se eisque a laicis omnibus inviolabiliter volumus observari.

4. Item statuimus, ne quis ecclesiam aliquam in bonis suis dampnificet occasione advocatie eorundem bonorum; set si dampnificaverit, dampnum in duplo restituat et centum marcas argenti camere nostre solvat.

5. Item si aliquis eorum vasallum suum, qui eum forte offendit, iure feodali convenerit et sic feodum evicerit, illud suis usibus tuebimur; et si ipse feodum de bona et liberali sua voluntate nobis conferre voluerit, recipiemus, amore vel odio non obstante. Quocumque autem modo, sive etiam ex morte infeodati, principi ecclesiastico feodum aliquod vacare contigerit, illud auctoritate propria immo violentia nullatenus invademus, nisi de bona voluntate liberalique concessione sua poterimus optinere; set cum effectu suis usibus studebimus defensare.

6. Item, sicut iustum est, excommunicatos eorum, dum tamen ab ipsis viva voce vel per litteras eorum vel per honestos nuntios fide dignos nobis denuntiati fuerint, vitabimus; et nisi prius absolvantur, non concedemus eis personam standi in iudicio: sic distinguentes, quod excommunicatio non eximat eos a respondendo impetentibus, set sine advocatis, perimat autem in eis ius et potestatem ferendi sententias et testimonia et alios impetendi.

7. Et quia gladius materialis constitutus est in subsidium gladii spiritalis, excommunicationem, si excommunicatos in ea ultra sex septimanas perstitisse predictorum modorum aliquo nobis constiterit, nostra proscriptio subsequetur: non revocanda, nisi prius excommunicatio revocetur.

8. Sic utique aliisque modis omnibus iusto videlicet et efficaci iudicio ipsis prodesse atque preesse firmiter compromisimus, et ipsi versa vice fide data promiserunt, quod contra omnem hominem, qui tali nostro iudicio ipsis exhibendo violenter restiterit, nobis pro viribus suis efficaciter assistent.

9. Item constituimus, ut nulla edificia, castra videlicet seu civitates, in fundis ecclesiarum vel occasione advocacie vel aliquo quoquam pretextu construantur; et si qua forte sunt constructa contra voluntatem eorum, quibus fundi attinent, diruantur regia potestate.

10. Item inhibemus ad imitationem avi nostri felicis memorie imperatoris Friderici, ne quis officialium nostrorum in civitatibus eorundem principum iurisdictionem aliquam sive in theloneis sive in monetis seu in aliis officiis quibuscumque sibi vendicet; nisi per octo dies ante curiam nostram ibidem publice indictam et per octo dies post eam finitam. Nec etiam per eosdem dies in aliquo excedere presumant iurisdictionem principis et consuetudines civitatis. Quocienscumque autem ad aliquam civitatum eorum accesserimus sine nomine publice curie, nichil in ea iuris habeant; set princeps et dominus eius plena in ea gaudeat potestate. Sane quanto fidem ampliorem predictorum principum circa nos intelleximus, tanto excellentius eorum profectibus semper intendimus prospicere.

11. Et quoniam acta hominum oblivio, inimica memorie, per longam temporum evolutionem sepelire solet, diligentia vigilantiori adhibita hec nostre gracie beneficia ecclesiis impensa perpetuari volumus, statuentes, ut heredes nostri et successores im-

perio ea rata conservent et exequantur et faciant in subsidium ecclesiarum a laicis universaliter observari.

Et ut futuris innotescant et a presentium non excidant memoria sive noticia, ea fecimus huic pagine annotari et paginam subnotatione nominum eorum qui interfuerunt, principum videlicet, et sigilli nostri munimine insigniri. Testes hii sunt: Sifridus Maguntinus archiepiscopus, Theodericus Treverensis archiepiscopus, Engelbertus Coloniensis archiepiscopus, Albertus Magdeburgensis archiepiscopus, Cuonradus Metensis et Spirensis episcopus imperialis aule cancellarius, Eckbertus Babenbergensis episcopus, Cuonradus Ratisponensis episcopus, Hartwicus Eistetensis episcopus, Heinricus Wormatiensis episcopus, Otto Traiectensis episcopus, Theodericus Monasteriensis episcopus, Hugo Leodiensis episcopus, Engelhardus Nuvenburgensis episcopus, Heinricus Basiliensis episcopus, H. . . Havelbergensis episcopus, et alii quam plures.

[Signum domini Friderici secundi Romanorum regis invictissimi et regis Sicilie.]

Ego Chuonradus Metensis et Spirensis episcopus imperialis aule cancellarius vice domini [Sifridi] Maguntini [Maguntine sedis] archiepiscopi et tocius Germanie archicancellarii recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnacionis 1220. indictione 9. regnante domino Friderico secundo Romanorum et Sicilie rege glorioso anno regni eius in Germania 8 in Sicilia vero 23.

Datum apud Frankenfort 6. kal. maii indictione prescripta.

6. Friedrichs II Statutum in favorem principum. Cividale 1232 im Mai.

Abgedruckt aus Mon. Germ. hist. (Folioserie) LL. II (1837) S. 291 bis 293. — Vgl. F. Löher, Fürsten und Städte zur Zeit der Hohenstaufen dargestellt an den Reichsgesetzen K. Friedrichs II (1846) S. 62—108; E. Winkelmann, Gesch. K. Friedrichs II und seiner Reiche I (1863) S. 411, 395 ff.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus Ierusalem et Sicilie rex.

Excelsa nostri sedes imperii exaltatur ac principalia moderamina imperii in omni iusticia et pace disponimus, cum ad nostrorum iura principum et magnatum debita provisione prospicimus, in quibus, velut honorabilibus membris insidet caput, ita nostrum viget et consistit imperium, et tanta cesaree magnitudinis moles regit et evehit, quorum humeris innititur et portatur. Noverit igitur presens etas et futura posteritas, quod in Foro Iulii apud Sibidatum una cum dilecto filio nostro Heinrico Romanorum rege convenientes, rogati per principes et magnates, quorum ibidem diligenda nobis aderat multitudo, ut gratiam eis ab eodem rege

filio nostro in generali curia Wormacie indultam nostre auctoritatis munimine prosequi dignaremur, dignum duximus eorum precibus favorabiliter annuendum, utpote qui non indigne in eorum promocione nostrum et imperii statum intendimus commode promovendum.

Concedimus igitur iuxta quod idem rex filius noster noscitur concessisse ac perpetue confirmacioni donamus statuentes:

1. Quatenus nullum novum castrum vel civitas in fundis ecclesiarum vel occasione advocatie per nos vel per quemquam alium sub pretextu quolibet construantur.

2. Item: Quod nova fora non possint antiqua aliquatenus impedire.

3. Item. Nemo cogatur ad aliquod forum ire invitus.

4. Item. Strate antique non declinentur nisi de transeuncium voluntate.

5. Item. In civitatibus nostris novis bannitum miliare deponatur.

6. Item. Unusquisque principum libertatibus, iurisdictionibus, comitatibus, centis, sive liberis vel infeodatis, utatur quiete secundum terre sue consuetudinem approbatam.

7. Item. Centumgravii recipiant centas a domino terre vel ab eo, qui per dominum terre fuerit infeodatus.

8. Item. Locum cente nemo mutabit sine consensu domini terre.

9. Item. Ad centas nemo sinodalis vocetur.

10. Item. Cives qui phalburgere dicuntur penitus eiciantur.

11. Item. Census vini, pecunie, frumenti vel alii, quos rustici constituerunt hactenus se soluturos, relaxentur et ulterius non recipiantur.

12. Item. Principum, nobilium et ministerialium ecclesiarum homines proprii in civitatibus nostris non recipiantur.

13. Item. Principibus, nobilibus, ministerialibus et ecclesiis proprietates et feoda per civitates nostras occupata restituantur nec ulterius occupentur.

14. Item. Conductum principum per terram eorum, quam de manu nostra tenent in feoda, vel per nos vel per nostros non impediemus vel infringi paciemur.

15. Item. Non compellantur aliqui per scultetos nostros ad restitucionem eorum, que a longinquo tempore ab hominibus receperant, priusquam se in nostris civitatibus collocarent, nisi homines ipsi fuerint imperio immediate subiecti, quos tenebuntur iuvare super eorum iure in foro eorum, in quorum terris talia sunt percepta.

16. Item. In civitatibus nostris nullus terre dampnosus vel a iudice dampnatus vel proscriptus recipiatur scienter; recepti convicti eiciantur.

17. Item. Nullam novam monetam in terra alicuius prin-

cipis cudi faciemus, per quam moneta eiusdem principis deterioretur.

18. Item. Civitates nostre iurisdictionem suam ultra civitatis ambitum non extendant, nisi ad nos pertineat iurisdictio specialis.

19. Item. In civitatibus nostris actor forum rei sequetur, nisi reus vel debitor principalis ibidem fuerit inventus; quo casu ibi tenebitur respondere.

20. Item. Nemo recipiat in pignore bona quibus quis infeodatus sit sine consensu et manu domini principalis.

21. Item. Ad opera civitatum nemo cogatur, nisi de iure teneatur.

22. Item. Homines in nostris civitatibus residentes consueta et debita iura de bonis extra civitatem suis dominis et advocatis persolvant neque indebitis exactionibus molestentur.

23. Item. Homines proprii, advocaticii, feodales, qui ad dominos suos transire voluerint, ad manendum per officiales nostros non artentur.

Ad huius itaque concessionis et confirmacionis nostre memoriam et stabilem firm*it*atem presens privilegium fieri fecimus maiestatis nostre sigillo munitum.

Huius autem rei testes sunt S. Maguntinus archiepiscopus, B. patriarcha Aquilegensis, Salseburgensis, Magdeburgensis archiepiscopi; E. Papimbergensis, S. Ratisponensis imperialis aule cancellarius, Herbipolensis, H. Wormaciensis episcopi, Frisingensis electus, abbas sancti Galli, A. Saxonie, O. Meranie, et B. Karinthie duces. Comes H. de Hortenberc, comes A. de Scovenburch, comes Seine, Gerlacus de Butingen, G. de Bollandia, Gunzelinus, G. et C. de Hohenloe, pincerna de Winterstet, pincerna de Clingeburc, Richardus camerarius; et alii quam plures.

Signum domini Friderici secundi Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris semper augusti Ierusalem et Sicilie regis.

Ego Siffridus Ratisponensis episcopus imperialis aule cancellarius vice domini Siffridi Maguntini archiepiscopi et totius Germanie archicancellarii recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis 1232 mense maii, 5. indictionis imperante domino nostro Friderico secundo Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore semper augusto Ierusalem et Sicilie rege, anno Romani imperii eius duodecimo regni Ierusalem septimo et regni Sicilie tricesimo quarto feliciter amen.

Datum apud Sibidatum in Foro Iulii anno, mense et indictione prescriptis.

7. Die Beschlüsse des Nürnberger Reichstags. 1274 Novbr. 19.

Abgedruckt aus Mon. Germ. hist. LL. Bd. II (1837) S. 399—401. — Vgl. O. Lorenz, Deutsche Geschichte im 13. u. 14. Jahrhdt. Bd. II (1867), S. 73 ff; J. Weizsäcker, Der Pfalzgraf als Richter über den König (aus Abhandlungen der Gesellschaft der Wissenschaften zu Göttingen Bd. 33. 1886) S. 1 ff u. Zeissberg, Ueber das Rechtsverfahren Rudolfs von Habsburg gegen Ottokar von Böhmen in: Archiv für österreichische Geschichte Bd. 69 (1887) S. 1 ff.

In publico consistorio tempore sollempnis et regalis curie Nurenberc celebrate, considentibus principibus ac honorabili caterva comitum et baronum maximaque multitudine nobilium et plebeiorum astante coram serenissimo domino Rudolfo Romanorum rege ad exhibendum unicuique iusticie complementum primo peciit rex sententialiter diffiniri, quis deberet esse iudex, si Romanorum rex super bonis imperialibus et ad fiscum pertinentibus et aliis iniuriis regno vel regi irrogatis contra aliquem principem imperii haberet proponere aliquid questionis? Et diffinitum fuit ab omnibus principibus et baronibus qui aderant, quod Palatinus comes Reni auctoritatem iudicandi super questionibus, quas imperator vel rex movere vult principi imperii, optinuit et optinet ex antiquo.

Sedente itaque pro tribunali dicto Palatino comite rex peciit primo sententialiter diffiniri, quid ipse rex de iure possit et debeat facere de bonis, que Fridericus quondam imperator, antequam lata esset principum deposicionis sentencia, possedit et tenuit pacifice et quiete, et de bonis alias imperio vacantibus, que bona alii per violenciam detinent occupata? Et sententiatum fuit, quod ipse rex de omnibus talibus bonis se debeat intromittere et ipsa bona in suam retrahere potestatem; et si aliquis in recuperandis talibus bonis ipsi regi se opponere presumeret, iniuriosam violenciam regali potencia debeat repellere et iura imperii conservare.

Secundo peciit rex sententiari, quid iuris sit de rege Boemie, qui per annum et diem et amplius a die coronacionis regis Romanorum celebrato Aquisgranis contumaciter supersedit, quod feoda sua a rege Romanorum nec peciit nec recepit? Et sententiatum fuit ab omnibus principibus et baronibus, quod quicunque sine causa legitima per negligenciam vel contumaciam per annum et diem steterit, quod de feodis suis se non pecierit infeodari, ipso lapsu temporis cecidit a iure omnium feodorum suorum.

Tercio peciit rex sententiari, qualiter contra regem Boemie deberet procedere ad ipsius contumaciam reprimendam? Et sentencia fuit lata, quod Palatinus comes Reni per virum ingenuum ad certum locum et diem, videlicet infra sex septimanas et tres dies a die iudicii numerandos, deberet dictum regem citare coram ipso Palatino questionibus regis super contumacia peremptorie responsurum; et si ingenuus electus ad citacionem faciendam assereret et confirmaret proprio iuramento, quod ob metum, qui

cadere potest in constantem virum, non auderet se ipsius regis Boemie conspectibus presentare vel terram regis ingredi, sufficeret edictum publicum proponi in ipsa sollempni curia et citacionem fieri publico in civitate vel oppido sepedicti comitis Palatini regno Boemie plus vicino. Ut autem omnia procederent ordinate, ad faciendam presentacionem citacionis sex septimanis et tribus diebus superadditis decem et octo diebus, in summa date sunt inducie prefato regi Boemie novem ebdomade a duodecimo kalend. decembr. computande, ita quod decimo kalend. febr. ipse rex Boemie coram prefato comite Palatino Reni in Herbipolensi civitate debeat comparere, alioquin contra ipsum, prout ius permiserit, procedetur.

Preterea ex decreto et consilio principum diffinitum est, quod dominus Romanorum rex ius debeat reddere de omnibus questionibus civilibus et criminalibus a coronacionis sue tempore subortis et que deinceps orientur; item de omnibus questionibus civilibus, que eciam ante sui coronacionem emerserunt, super hereditatibus feodis possessionibus proprietatibus, nisi iudicio transactione vel composicione amicabili sint sopite.

Item de spoliis predis iniuriis et dampnis datis tempore Friderici quondam imperatoris inter fautores pape et imperii intendit dominus rex habere consilium et tractatum cum papa, qualiter fautoribus utriusque fiat, quod equum visum fuerit tam pape quam regi.

Item rogat et consulit omnibus illis dominus rex, qui predas, incendia et spolia commiserunt a tempore mortis Friderici quondam imperatoris usque ad coronacionem ipsius regis, quod amicabiliter transigant et componant cum offensis; rogat eciam offensos, ut non sint nimis difficiles in recipienda composicione; alioquin deliberabit rex, quid expediat in hac parte. Inter hos autem censeri non debent, qui publici fuerunt predones sanctarum et ecclesiarum nec non bella publica exercebant; sed de talibus faciendum est iudicium sine mora. Item questiones iam mote coram rege vel suis officialibus debent fine debito terminari.

Item diffinitum est, ut citaciones et edicta in curia et officialium suorum scribantur et sigillis iudicum consignentur et per has litteras fides de citacione facta sine aliqua alia probacione, nec pro citacione huiusmodi amplius quam sex Hallenses vel equivalens exigatur.

Item monuit rex advocatos, ut componant amicabiliter cum hiis, quos indebite advocacie nomine pregravarunt, et nichil ultra debitum ab hiis, quorum advocati existunt, exigant vel requirant, alioquin contra eos pro huiusmodi iniuria procedetur.

Item statuit, quod in nulla civitate imperii debeant esse cives, qui phalburger vulgariter appellantur.

Hiis omnibus presentes interfuimus nos principes ecclesiastici, videlicet Wernherus archiepiscopus Moguntinus, Babenbergensis, Eistadensis, Augustensis, Ratisponensis, Lubicensis, Misnensis,

Chimiensis, et Tridentinus episcopi, Constanciensis et Herbipolensis electi et abbas Morbacensis, quorum eciam sigilla de speciali mandato nostro presentibus sunt appensa in evidens rei geste testimonium ad erudicionem presencium et ad cautelam quorumlibet successorum.

Acta sunt hec anno Domini 1274. 13. kal. decembr. indictione 3. regni nostri anno 2.

8a. Reichsurteil vom Reichstag zu Nürnberg betr. Veräusserung von Reichsgut. 1281 Aug. 2.

Abgedruckt aus Mon. Germ. hist. LL. II (1837) S. 435. — Vgl. W. Küster, Beiträge zur Finanzgeschichte des deutschen Reichs nach dem Interregnum I. Das Reichsgut in den Jahren 1273—1313 (Diss. Leipzig 1883) S. 12 ff.

Nos Rudolphus Dei gratia Romanorum rex semper augustus tenore presentium profitemur et publice protestamur, quod nobis pro tribunali sedentibus in solemni curia nostra apud Nuremberg sententiatum extitit coram nobis, omnium principum nobilium ac aliorum fidelium nostrorum qui fuere presentes applaudente consensu, quod omnia donata, confirmata seu facta quocumque modo alio de rebus vel bonis imperii per quondam Richardum regem illustrem aut predecessores suos in Romano imperio a tempore, quo lata fuerat in olim Fredericum imperatorem secundum depositionis sententia, nullius habere debeant roboris firmitatem, nisi consensu maioris partis principum in electione Romani regis vocem habentium fuerint approbata. In cuius rei testimonium presens scriptum conscribi fecimus et maiestatis nostre sigillo iussimus communiri.

Datum in Nuremberg 5. idus augusti indict. 9. anno Domini 1281., regni vero nostri anno 8.

8b. Kurfürstlicher Willebrief. 1282 Sept. 24.

(Consens des Erzb. Werner von Mainz zur Verleihung von Reichsgütern an den Burggrafen Friedrich von Nürnberg.)

Abgedruckt aus Monumenta Zollerana hrsg. von R. von Stillfried und T. Maercker Band II (1856) S. 138; die betr. Belehnungsurkunde König Rudolfs vom 30. Sept. 1282 ebenda S. 139. — Vgl. Jul. Ficker, Fürstliche Willebriefe und Mitbesiegelungen in: Mittheilungen des Instituts für österr. Geschichtsforsch. Bd. III (1882) S. 1—62 und K. Lamprechts Abhandlungen in: Forschungen zur deutschen Geschichte Band XXI (1881) und Band XXIII (1883).

Wernherus dei gracia sancte Maguntine sedis archiepiscopus sacri imperii per Germaniam archicancellarius universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis salutem in domino sempiter-

nam. Volentes serenissimi domini nostri Rudolfi Romanorum regis semper augusti beneplacitis iugiter complacere, consentimus expresse ac nostram ad hoc liberaliter inpertimur assensum, quod idem villas Lenkersheim, Erlebach et Brucke cum suis pertinenciis universis nobili viro Friderico burcgravio de Nurenberg conferat et concedat in feodum, quandocumque sue placuerit voluntati. In cuius nostri consensus testimonium presentes litteras nostro sigillo fecimus communiri. Datum Bopardie 8. kalend. octobris, indictione 11., anno domini 1282.

9. Die sog. Wahlkapitulation Adolfs von Nassau.

(Zugeständnisse für Erzbischof Sigfrid von Köln 1292 April 26).

Abgedruckt aus L. Ennen, Die Wahl des Königs Adolf von Nassau (1866) S. 56—63. — Vgl. F. W. E. Roth, Geschichte des römischen Königs Adolf I von Nassau (1879) S. 129 ff.

Nos Adolphus dei gratia comes de Nassauwe universis presentes litteras visuris et audituris in vero salutari salutem. Cum per mortem serenissimi principis pie recordationis olim domini Rodolphi Romanorum regis vacet imperium nostrique iam dudum fuerit et sit propositi et intentionis firmissime domino deo in subsidium terre sancte, quantum possibilitas nostra patitur, placitum exhibere pro nostris reatibus famulatum, et quia hoc commodius ad honorem dei et ipsius terre sancte reformationem efficere possumus, si divina favente gratia ad id nos licet indigni ex promotione opere et opera reverendi patris domini Sigfridi sancte Coloniensis ecclesie archiepiscopi in nos votum suum dirigentis in regem Romanorum nominati fuerimus et electi, promittimus et ad hec, que secuntur, fide et iuramento corporali super hiis prestitis mera et libera voluntate, nos tenore presentium obligamus: Quod si (ut dictum est) in regem electi fuerimus Romanorum, ecclesias et ecclesiasticas personas, presertim ecclesiam Coloniensem, que iam multo tempore gravibus iacet prostrata dampnis et affecta iacturis, in suis iuribus et libertatibus conservabimus et defendemus et ipsas lesas ad statum debitum reducemus.

Electioni etiam de nobis facte (ut dictum est) consensum adhibebimus nec ab huiusmodi iure in regno per electionem ipsius domini Coloniensis archiepiscopi acquisito aliquo tempore, etiam si aliqui principes Alamanie in electione ab eodem domino archiepiscopo dissentirent, aliquatenus desistemus; et quia ipsum imperium felix recipere non poterit incrementum, nisi ipsa sancta Coloniensis ecclesia, que multis (ut dictum est) affecta iacet dampnis et iacturis, ab hiis per adiutorium imperii primitus sublevetur, promittimus et sub dictis fide et iuramento nos obligamus de nostra bona et libera voluntate, quod si de persona nostra [per] eundem dominum nostrum archiepiscopum fuerit electio celebrata,

nos eidem archiepiscopo, suis successoribus et ecclesie Coloniensi castra et munitiones Cochme Wede Lanskrone Sinzege Dusburg Tremoniam pro iuribus regni et imperii in partibus illis et etiam ecclesie Coloniensis contra suos inimicos et adversarios defendendis et conservandis commodius committemus et ipsa deliberabimus et absolvemus a manibus illorum, qui nunc tenent, tenenda, habenda et possidenda cum omnibus suis iuribus redditibus iurisdictionibus theoloneis et proventibus ac pertinentiis quibuscumque ab eodem archiepiscopo, eius successoribus et ecclesia Coloniensi ad vitam nostram pacifice et quiete, nec aliqua occasione [quidquam] dictorum castrorum et munitionum, reddituum seu proventuum eorundem ab eisdem archiepiscopo et suis successoribus et ecclesia Coloniensi quoad vixerimus requiremus, sed ipsos redditus theolonia et proventus eisdem libere et absolute concedemus temporibus regni nostri pro custodia ac conservatione eorundem, nobis contra nostros et imperii inimicos libero introitu et exitu, si necesse fuerit, in eisdem castris et munitionibus tantummodo reservatis.

Item cum idem archiepiscopus et ecclesia Coloniensis castra ecclesie sue Leggenich Wede Waldenberg Rodenberg et Aspille in liberatione ipsius archiepiscopi nobili viro Adolpho comiti de Monte obligaverint pro certa pecunie quantitate, et ecclesia Romana eidem comiti sub pena excommunicationis et interdicti dederit in mandatis, ut dicta castra eidem archiepiscopo et ecclesie sue restituat libere et absolute, et hoc idem dominus papa iniunxerit quondam domino Rodolpho Romanorum regi predicto, promittimus, quod nos eundem comitem et suos heredes tales habebimus, quod omnia castra predicta et villam Tuitiensem restituent et deliberabunt archiepiscopo et ecclesie Coloniensi sine aliquo dampno ipsorum et alicuius pecunie datione. Item promittimus, quos nos eundem archiepiscopum et ecclesiam Coloniensem in advocatiam et iudicium apud Essinde, curtes Westhoven, Brakele et Elnenhorst restituemus et reponemus et earundem pacifica possessione gaudere procurabimus et efficiemus. Item promittimus, quod archiepiscopum, suos successores et ecclesiam tenebimus et conservabimus in possessione castrorum Wassenberg et Leydberg et ipsis contra ducem Brabantie, comitem Flandrie et alios quoscumque propter hoc ipsos vadere volentes manu potenti assistemus. Item promittimus, quod si archiepiscopus, sui successores et ecclesia Coloniensis castra et munitiones Worinch Ysenburg Werle Mendene Raffinburg Volmesteyne Hallenberg et munitiones alias ecclesie Coloniensis tempore captivitatis archiepiscopi destructas suis sumptibus reedificare voluerint, violentiam ipsis deponemus et quoscumque in huiusmodi structura eos impedire volentes regali potentia compescemus.

Item promittimus, quod theolonia in Andernaco et apud Berke archiepiscopo et ecclesie Coloniensi confirmabimus et privilegia ecclesie Coloniensis ab imperatoribus, regibus concessa innovabimus eisdem. Item promittimus, quod archiepiscopum et ecclesiam Co-

loniensem in castrum et bona apud Zelten, a quibus archiepiscopus tempore captivitatis sue a comite de Veldenz fuit eiectus et spoliatus, reponemus et ipsum castrum eidem archiepiscopo et ecclesie Coloniensi deliberari faciemus.

Item promittimus, quod condignam emendam archiepiscopo et ecclesie Coloniensi fieri procurabimus a civibus Coloniensibus de forefactis eorundem ad voluntatem archiepiscopi, suorum successorum, ecclesie Coloniensis; alioquin absque omni contradictione ab archiepiscopo, suis successoribus et ecclesia Col. requisiti, quia in excommunicatione dicti cives steterunt per annum et diem et forefactum ipsorum est notorium, proscribemus eosdem et bona ipsorum publicabimus et nichilominus archiepiscopo, suis successoribus et ecclesie Coloniensi assistemus nostris laboribus et expensis potenter et patenter contra cives predictos et fautores eorundem; nec a persecutione eorundem desistemus nec pacem, treugas vel compositionem cum eisdem inibimus sine ipsius archiepiscopi, suorum successorum et ecclesie Coloniensis voluntate et consensu expresso, et circa huiusmodi negotium faciemus quidquid archiepiscopo et ecclesie Coloniensi videbitur faciendum. Item promittimus, quod si compositionem amicabilem cum civibus Coloniensibus contigerit ordinari vel eos archiepiscopo subiugari, nos de civitate Coloniensi nullatenus intromittemus nec de civibus aliquod fidelitatis homagium recipiemus, cum ipsa civitas in temporalibus et spiritualibus ad ipsum archiepiscopum Coloniensem pertineat pleno iure.

Item promittimus quod tutelam monasterii Corbeiensis archiepiscopo et ecclesie Coloniensi a domino R. Romanorum rege commissam innovabimus et confirmabimus eisdem, castraque et munitiones ecclesie Corbeiensis ab aliis violenter occupata revocabimus et recuperabimus ad ecclesiam Corbeiensem de consilio archiepiscopi memorati.

Item cum necessarias utiles et inevitabiles oporteat episcopum suos successores et ecclesiam Coloniensem pro servitio Romani imperii facere expensas, promittimus, quod eidem archiepiscopo et ecclesie Coloniensi dabimus viginti quinque milia marcarum argenti in suarum subsidium expensarum; et ad maiorem securitatem et observantiam premissorum promittimus, quod castra Nassauwe Dillenburg Ginsberg Segen partem comitis Henrici de Nassauwe cum consensu libero et expresso ipsius comitis Henrici, uxoris sue et Emekonis fratris sui, item Brubag Riveltze Limburg, castrum et oppidum Velmere de consensu et bona voluntate dominorum dictarum munitionum et heredum eorundem ipsi archiepiscopo suis successoribus et ecclesie Coloniensi sublevabimus, reponemus et deliberabimus et assignari faciemus tenenda sub expensis nostris; et nichilominus quinquaginta tam nobiles quam milites bonos et legales fideiussores ponemus eisdem et cum eisdem fideiussoribus apud Bunnenses ab eodem archiepiscopo suis successoribus et ecclesia Coloniensi requisiti infra quindenam

intrabimus, inde non recessuri, quousque omnia et singula premissa per nos fuerint adimpleta vel super ipsis adimplendis securitas facta ad voluntatem archiepiscopi et ecclesie Coloniensis.

Praeterea eligimus et arbitramur, quod si contra premissa vel aliquid premissorum fidem nostram (quod absit) infringendo deveniremus nec securitatem ipsi archiepiscopo ad voluntatem suam faceremus super premissis omnibus faciendis adimplendis et servandis, ipso facto cademus a iure electionis et iure regni nobis per electionem acquisito, renunciantes exnunc ut extunc omni iuri, quod nobis competeret seu competere posset in regno predicto, ratum et gratum habentes, quod principes ius in electione imperii habentes ad electionem alterius regis procedant, si hoc eidem archiepiscopo videbitur expedire.

Praeterea coronam regni, consecrationem et installationem in sede Aquensi ab eodem domino archiepiscopo non petemus nec ipsum aliqualiter infestabimus super eo, quousque plenam securitatem fecerimus eidem super omnibus et singulis articulis fideliter adimplendis.

Item promittimus, quod super debito, in quo idem dominus archiepiscopus nobis tenebatur propter theolonium Andernacense, quod nobis obligaverat, quitum clamabimus et dicemus. Item promittimus, quod questionem, que vertitur inter eundem dominum archiepiscopum et comitem Henricum de Nassauwe consanguineum nostrum super dampnis et deperditis, in nos recipiemus et ipsum sedabimus voluntate archiepiscopi memorati. Item promittimus, quod illustris principis domini Ottonis cum telo marcionis Brandenburgensis favorem et amicitiam captabimus, ut suam promotionem sentiamus ad dictum dominum archiepiscopum, ecclesiam Coloniensem, et comitis Ottonis de Everstein Westfalie marchalci. Item promittimus, quod si liberi quondam Wilhelmi fratris Walrami nunc comitis Juliacensis eundem comitem propter comitatum Juliacensem et bona alia impetere seu invadere voluerint, nos eundem comitem Juliacensem manutenebimus et eidem assistemus et ipsum conservabimus in comitatu et bonis predictis contra ducem Brabantie, comitem Flandrie et alios quoscumque propter hoc ipsum comitem Juliacensem invadere volentes; oppidum etiam Duren eidem comiti quad vixerimus dimittemus et officium sculteti Aquensis cum suis iuribus illi committemus, cui voluerit archiepiscopus et quamdiu placuerit archiepiscopo antedicto.

Super debitis etiam, in quibus dominus Rodolphus Romanorum [rex] patri dicti comitis tenebatur, de quibus etiam se dicit habere recognitionem et litteras patentes ipsius regis, adiungemus amicos nostros ipsi domino archiepiscopo et de consilio ipsius rationabiliter nos habemus circa comitem predictum in debito antedicto.

Item promittimus, quod archiepiscopo et ecclesie Coloniensi quoad vixerimus favorabiles erimus et gratiosi et eisdem assistemus contra quoscumque suos adversarios et inimicos, nec de Monte nec de Marka comites aut ducem Brabantie aut alios inimicos

ecclesie Coloniensis in nostrum consilium et familiaritatem recipiemus sine consensu et voluntate archiepiscopi, suorum successorum et ecclesie Coloniensis.

In cuius rei testimonium sigillum nostrum ex certa nostra scientia apposuimus et apponi fecimus huic scripto. Nos etiam Johannes dominus de Limburg, Ulricus dominus de Hagenauwe, Godefridus de Merenberg et Johannes de Rynberg de mandato ipsius Adolphi comitis speciali et expresso fide et iuramento interpositis promisimus et iuravimus nos effecturos et procuraturos, quod idem comes omnia et singula premissa constanter adimplebit et fideliter observabit, dolo et fraude exclusis, sigilla nostra presentibus in testimonium apponentes.

Promittimus insuper nos Adolphus comes predictus sub penis predictis, quod de Austrie et Limburgensi ducatibus ad imperium devolutis neminem infeodabimus nec aliquid de ipsis ordinabimus sine ipsius archiepiscopi consensu, voluntate expressa.

Datum Andernaci dominica proxima ante festum beatorum Philippi et Jacobi apostolorum anno domini MCC nonagesimo secundo.

10. Absetzung des Königs Adolf von Nassau 1298.

Abgedruckt aus J. E. Kopp, Geschichte der eidgenössischen Bünde (Geschichten von der Wiederherstellung und dem Verfalle des heiligen römischen Reiches) Bd. 1 (1845), S. 905—908. — Vgl. Domeier, Die Absetzung Adolfs von Nassau (1889).

In nomine domini amen. Gerhardus dei gracia sancte Maguntine sedis archiepiscopus sacri imperii per Germaniam archicancellarius ad rei memoriam sempiternam. Ut prodeat de vultu dei iudicium et oculi nostri videant equitatem, via regia debemus incedere nec ad sinistram nec ad dextram declinare, ita magnum iudicantes ut parvum, quia non est personarum acceptio apud deum. Presidente namque rationis imperio sedet in examine veritatis pro tribunali iusticia, et quasi rex in solio iudicii rectitudo, de cuius ore procedit gladius bis acutus; cuius eciam aspectu terribili proprie voluntatis dissipatur arbitrium reproborum, quia noxius appetitus sine personarum delectu subiectionis regula limitatur. Hec enim eterni fuit providencia iudicis, de cuius vultu recta iudicia prodeunt, ut recti iudices eligerentur in orbe, qui terram iudicent, iusticiam diligant, orphanos pupillas et viduas defendant, et quorum oculi respiciant equitatem; hec profecto velut dei testamento, quo filios hominum recte iudicare iussit, per quod fedus humani generis in tranquillitate consistit, sollicitudine vigili ac diligenti studio sunt a cunctis firma stabilitate servanda; nam pacem pariunt, modestiam nutriunt, sua unicuique equo libramine tribuunt, iniuriarum materiam reprimunt, delinquentes puniunt, alterum ledi ab altero non permittunt.

Sane cum nos apud serenissimum dominum Adolfum precipuum principem secularem pro communis pacis observatione, pro suorum defectuum emendacione, delictorum correctione necnon suorum excessuum condigna satisfactione, monitis salutaribus et precum curaremus cum devotione debita insistere lenitate; idem princeps a nobis non semel tantum, sed sepius humiliter conmonitus et devote, Pharaonis duriciam imitans et obturans more aspidis aures suas, preces humiles et salubria monita elata obstinacione ac obstinata elacione despexit: propter quod, non valentes absque gravi Christi offensa eius iniquitates amplius tolerare, cogimur stimulo proprie consciencie nos urgente iuste quantum licet animadvertere in eundem. Ipso namque regnante (ut de ceteris eius criminibus taceamus, sicut heu rei evidencia et communis clamor populi ascendens in celum cum gemitibus et lacrimis de die in diem continue manifestant) ius publicum sibi gubernandum gladio temporali commissum in sacratis sacerdotibus et magistratibus per ipsum et suos, laxatis frenis ad illicita, miserabiliter (quod dolentes proferimus) nostris temporibus dei timore postposito vulneratur adeo, quod facti qualitas et gentilitatis precedit rabiem et fidem valet offendere christianam. Quoniam per ipsum et suos maximum in dei ecclesia sacramentum, videlicet corpus domini nostri Jesu Christi, in pluribus ecclesiis irreverenter et violenter effractis (quod horrendum est cogitare et tremendum videre fieri tacito), de actu nephandissimo acceptis capsellis proicitur non aliter, quam res prophana quandoquidem super terram. Sacerdotes etiam et viri ecclesiastici et religiosi, ut de laicis et pauperibus taceamus, ad dei ecclesiam fugientes in cornu altaris, ablatis calicibus et ecclesiasticis ornamentis, etiam infra divinorum officia usque ad femoralia spoliantur, ceduntur et quandoquidem occiduntur; altaria denudantur, baptisteria confranguntur et ecclesie incenduntur, rebus ibidem pauperum et divitum causa refugii positis ausu sacrilego asportatis; iudices eciam ecclesiastici et magistratus pro iusticia reddita querelantibus per iniuriam puniuntur; probi quoque sacerdotes, canonice iuxta morem ecclesiasticum per locorum ordinarios instituti, deiciuntur aliis inhonestis, de quorum ordinacione non constat, in locum eorum positis per abusum laice potestatis. Insuper infinita alia lamentabilia forefacta, que ad plenum scripto vel sermonum foliis explicari non poterunt, committuntur: virgines enim impudenter in aspectu parentum stuprantur, vidue continentes, coniugate et honeste mulieres clamoribus validis et conatibus renitentes maritis et consanguineis respicientibus impudencius opprimuntur; de quorum debita emendacione cum contra suos prefectos et ministros talia committentes et fieri permittentes ad ipsum regem sepius lamentabiliter habitus fuisset recursus, ipse clamores querelancium obaudivit iusticiam facere neglexit et accusatos non solum calumpniose defendit, sed ad deteriora etiam provocavit. Et ut ad presens de ceteris predicti regis sceleribus taceamus, quedam

gravissima, que nulla possunt tergiversacione celari, commisit: deieravit enim multociens communem pacem terre tam suo quam incolarum regni Alemanie nobilium et plebeiorum iureiurando firmatam dampnabiliter violando, pacta etiam inter ipsum et nos super iuribus nostre ecclesie conservandis inita et sacramento vallata minime observando. Perpetravit eciam sacrilegium, capi faciens prelatos clericos religiosos et etiam seculares; multa insuper statuta edidit et consuetudines introduxit in subversionem ecclesiastice libertatis, volens ecclesiam subicere servituti et publicis functionibus, a quibus est prorsus immunis: et quod gravius est, ab episcopis et prelatis sua a dicto rege regalia recipere volentibus magna extorquet donaria per symoniacam pravitatem; immo quod peius est sua episcopis et prelatis conferre regalia penitus contradicit, nisi antea aliqua de bonis suis et ecclesie sue possessionibus sibi conferant et assignent. Et sic per ipsum, tamquam ecclesie persecutorem precipuum, ecclesiasticus ordo confunditur et dissolvitur nervus ecclesiastice discipline. Principes etiam Alemanie tam ecclesiasticos quam eciam seculares, archiepiscopos episcopos prelatos, duces marchiones comites et barones suis dignitatibus honoribus et bonis ac iuribus absque causa rationabili per dolum et fraudem et insidias quascumque diabolicas privare contra deum et iusticiam tamquam seminator discordie multipliciter est conatus; et ipsorum principum exterminio adeo est intentus, ut ipsis illud verbum sapientis competere merito videatur: Cur ego, inquit, te habeam ut principem, cum tu me non habeas ut senatorem? Que omnia et plura alia aliis similia delicta nephanda regi predicto per communem populi acclamationem necnon publicam vocem et famam sub rei evidencia, que tergiversacione aliqua celari non potest, veraciter ascribuntur.

Nos itaque per excellentissimos Germanie principes, qui regem in imperatorem postmodum promovendum ius et potestatem una nobiscum obtinent eligendi, non semel tantum sed pluries requisiti et stimulo proprie conscientie excitati, ex incumbentis officii nostri sollicitudine non solum principes antedictos, verum eciam ipsum regem pro sancte pacis reformatione, pro concordie revocatione, pro rei publice felici gubernacione et pro tocius regni salute nuper duximus convocandos: ut 17. kalendas julii, si dies feriata non fuerit, alioquin proxima die sequenti non feriata, quam eis pro termino assignavimus peremptorio, in Maguinciam dignarentur sui personam exhibere ad tractandum et ordinandum de turbacionibus et defectibus regni, quod omnipotenti deo foret acceptum et hominibus profuturum. Adveniente itaque termino predicto eodemque propter predicti regis contumaciam et quorundam principum electorum absenciam usque in vigiliam beati Johannis Baptiste proximam continuato, magnifici principes, videlicet dominus Albertus dux Saxonie pro se ac illustri L. comite Palatino Reni procuratorio nomine, et dominus O. cum telo, dominus H. et dominus Hermannus marchiones de Brandenburg, et alii

quamplures regni Alemanie principes, comites et barones nobiscum, qui vices gessimus venerabilis patris domini Wicboldi sancte Coloniensis ecclesie archiepiscopi necnon excellentissimi principis domini Wenceslai regis Bohemie iuxta speciale mandatum principum eorundem et potestatem plenam et liberam nobis traditam ab eisdem ad universa et singula, que in superioribus sunt expressa et eciam que sequuntur, convenerunt loco et terminis supradictis: cum quibus et aliis sapientibus ibidem tunc presentibus inquisicione de predictis et examinacione habita diligenti dominus Adolfus rex predictus per honestorum virorum quampluriam viva testimonia et alia legitima documenta inventus fuit de premissis excessibus et criminibus publice et notorie irretitus. Insuper rex predictus tanto regimini tanteque potestati inventus est insufficiens et inutilis, prout dura gwerrarum turbacio, que in diversis regni Alemanie partibus miserabiliter invaluit per ipsum et suos, per quos sedari pocius debuerat, detestabiliter excitata docuit manifeste. Igitur super premissis cum principibus electoribus episcopis prelatis ducibus comitibus baronibus et sapientibus omnibus ibidem presentibus deliberacione prehabita diligenti de communi consilio et voluntate omnium ac consensu unanimi illorum, quorum intererat, predictum dominum Adolfum, qui se regno reddidit tam indignum quique propter suas iniquitates et causas proscriptas a deo ne regnet amplius est eiectus, privatum regno, cui hactenus prefuit, a domino ostendimus [et] denunciamus privatum et nichilominus concordi sentencia predictorum principum electorum dictante senteneiando privamus, omnes qui ei iuramento fidelitatis tenentur astricti a iuramento huiusmodi perpetuo absolventes, firmiter inhibendo, ne quisquam de cetero sibi tamquam regi pareat vel intendat. Acta sunt hec Maguncie anno domini 1298 in vigilia beati Johannis Baptiste.

11. Die Kurvereine von Lahnstein und Rense. 1338.

Der deutsche Text (a) abgedruckt (nach Weizsäckers Grundsätzen) aus Bibliotheca historica Goettingensis I. Theil (1758), S. 246—248, die lateinischen (b und c) aus Sitzungsberichte der (Wiener) kaiserl. Akademie der Wissenschaften, philos.-hist. Klasse XI. Bd. (1853) S. 701—704 (Jul. Ficker). — Vgl. Karl Müller, Der Kampf Ludwigs des Baiern mit der römischen Kurie Bd. II (1880) Seite 64 ff. — Ebendaher S. 357 stammt der Text d).

a) Wir von gotts genaden Heinrich erzbischof ze Meyntz, Wolrob erzbischof ze Cölln, Baldewien erzbischof ze Tryer, Ruedolf, Rueprecht gebrüeder, Stephan, Rueprecht der junger pfalenzgrafen bei Rhein und herzogen in Bayrn, Ruedolf herzog ze Sachsen und Ludwigen marggrafen ze Brandenburg thun khunt allen leithen, die disen brief ansechent oder herent lesen, das wir mit einander bedacht und angesehen haben, das das heilig Römisch reich an seinen ehren rechten und gueten und auch wir an unsern

ehren rechten gewonheiten und freiheiten, die wir von dem vor genanten reiche hon, sere ze disen zeiten und auch vor angriffen bekhrenkt und beswert seint und werden; und sein umb gemainen und khuntlichen nutz der gemeinen Christenheit und umb des ehe genant reichs und unsere ehre recht freiheit und gewonheit ze schirmen ze schutzen und ze hanthoben einmuetlichen überkhomen und han uns des vereint, das wir das ehe genant reich und unser fürstlicher würde (die wir von ihm haben, nemlich an der khur des reichs und seinen und unseren rechten freiheiten und gewonheiten, als *wir* von alters han und an des reichs churfürsten herkhomen und bracht ist) hanthoben beschutzen und beschirmen wollen nach aller unser macht und craft an geverd wider aller meniglich nieman ausgenomen, wann es unser ehr und eid anget. und wollen das nicht lassen durch khainerlei gebot, von wem oder wie es khom, damit des reichs *ehr* und wir die churfürsten an/disen vor geschriebnen sachen in kheiner weise bekhrenkhet mochten werden. auch wollen wir alle herren und freunt, die uns zuegeherent oder nit, sie sein geistlich oder weltlich, unser man dienstman purkhman ambtleith und purger darzue bitten und halten, als vere wir vermögen; und darzue soll unser jegelicher der churfürsten dem andern beholfen sein an geverde, das sie uns zu disen sachen beholfen und beständig sein und des durch niemant lassen umb kheinerlei gebot, von wem die khomen mögten. Geschech auch, das einerlei zweung oder zwevol an disen sachen under uns den churfursten ofstunden: was wir dann gemänielichen oder der merer theil under uns dariber sprechen und machent, das soll macht haben und *wir* sollen auch das halten ane argliste. allen disen vorgeschriben stückhen und ir jeglichs besonder han wir gelobt mit guten treuen und gelobcn an disen gegenwertigen brief bei unsern fürstlichen ehren und haben es auch gesworen zu den heiligen für uns und unser nachkhomen stet und vest zu halten und darwider nicht ze khomen noch darvon ze lassen in khein weise, als hievor begriffen und geschriben ist. Und ensollen enwollen noch enmögen wir oder jeman anders, der mit uns in dise verpündnis khomen, der auch dasselb ze halten sweren soll und geloben, als vor und nach geschriben steht, ob wir oder einer, die zu uns in die pündnis khomen, also khränket weren, da Gott nit einwolle, das wir oder ir einer dawider theten oder thun wolten, uns darwider nit behelfen in kheiner dispensation absolution relaxation abolition in integrum restitution, kheinerlei beneficio, wie das genant sei, wann es khum oder wie es khum, es geschehe umb unsere oder ander leith bet oder das man nent zu Latein ex officio oder von kheiner gewalt des, der sich des annemen wolt; und solten Gott und der welt erlos treulos und mönedig sein und heissen, wo oder wie wir darwider theten oder khomen in einerhandt weis, allerlei arglist und geverde an disen vorgeschriben stücken und *ir* jegliches ausgescheiden. darüber ze

urkhund geben wir dise brief versigelt mit unsern insigeln, die geben sint ze Ronse am donnorstag nach Margreten nach Christes geburt dreizehen hundert jar darnach in dem achtunddreissigisten jar.

b) Sequitur juramentum factum per dominos principes electores sacri imperii in Lostayn civitate domini archiepiscopi Moguntinensis super flumen Regni presente domino Ludowico IV. Romanorum imperatore et aliis principibus et baronibus Alamaniae anno domini millesimo trecentesimo trecesimo octavo, quinto decimo die mensis julii:

Nos Heinricus archiepiscopus ecclesiae Maguntinensis, Walramus archiepiscopus ecclesiae Coloniensis et Baldewinus archiepiscopus ecclesiae Treverensis necnon illustres principes ac domini domini Radulphus, Rupertus et Rupertus ac Stephanus representantes comitem palatinum regni, cum non sit diffinitum, quis eorum comes esse debeat vocem habens, necnon Radulphus dux Saxoniae ac Ludewicus marchio Brandenburgensis invicem congregati notum facimus, quod nos animadvertimus et perspeximus, quod quidem Romanum imperium in suis honoribus iuribus et votis et etiam nos principes electores in nostris honoribus iuribus consuetudinibus et libertatibus, quas a prenominato imperio habemus, nimis graviter instantibus et retroactis temporibus invasi [et] infirmati fuimus et sumus. Et sumus pro communi utilitate notoria tocius christianitatis et prefati imperii ac nostri ac aliorum principum electorum honore jure libertate et consuetudine ad defendendum tenendum manutenendum unanimiter coadunati; insuper in unum convenimus, quod nos prefati imperii ac nostri principatus honorem (quem ab imperio habemus, nominatim in electione ipsius imperii in suis ac nostrorum principum electorum juribus libertatibus et consuetudinibus, prout ab antiquo in nos tanquam in sacri imperii electores perventum et deductum existit) manutere defendere ac tueri volumus pro omni possibilitate ac viribus nostris sine fraude contra omnem hominem nullo penitus excluso, nam hoc nostrum tangit honorem et juramentum et hoc [non] volumus omittere ex qualicunque mandato imperium nos in casibus postscriptis possemus quolibet confirmari[1]). Eciam nos volumus omnes dominos et amicos nostros ad nos spectantes, sive sint spirituales sive seculares, a nobis infeudatos ministeriales castellanos officiales et burgenses ad hoc rogare et inducere, prout nostra possibilitas se extendit. Ad hec facienda quilibet principum electorum debet alterum adjuvare sine fraude, quod predicti in hiis casibus nobis cooperentur et assistant

---

1) Nach dem deutschen Texte des Kurvereines würde die offenbar verdorbene Stelle etwa lauten: — mandato, per quod imperium et nos in casibus prescriptis possemus quolibet modo infirmari.

et hoc propter nullum dimittant nec propter [1]) dubium in hiis causis inter nos electores insurgeret, id, quod [a] nobis concorditer vel a maiori parte nostrum super hoc dictum vel diffinitum fuit, vigorem habebit et illud observare tenebimur sine omni dolo. Omnes hos prescriptos articulos et quemlibet eorum singulariter promisimus bona fide et promittimus in presenti scriptura per nostri principatus honorem et eciam juravimus ad sancta sanctorum pro nobis et successoribus nostris inviolabiliter et firmiter observare, nec in contrarium venire, nec ullo tempore discedere. Eciam non debemus nec volumus nec potuerimus nos vel quicunque alius qui in hanc nostram ligam venerit, qui eciam se observare predictos articulos jurare et promittere tenebitur, sicut ante et post scriptum est, si nos, quod deus advertat, vel aliquis eorum tam instabiles vel infirmi essemus, quod nos vel aliquis eorum contra hec faceremus vel facere vellemus, contra hoc nos defendere cum dispensatione absolutione aut aliquo alio beneficio quovis nomine censeatur, a quocumque vel quomodocunque veniret, etiam si per nostras aut aliorum hominum preces fieret vel ex oficio vel qualicunque potestate illius, qui de hoc intromittere [se] vellet, et deberemus coram deo et mundo dehonorari, perfidi et perjuri esse et vocari, ubi vel quomodo in contrarium faceremus vel veniremus quocunque [modo], qualicumque astutia vel intuitu contra prescriptos articulos et eorum quemlibet singulatim [excluso].

c) Post dictum juramentum factum et publicatum per dominas principes sacri imperii electores in die futura factum fuit et publicatum super hac materia, ut inferius continetur:

In nomine domini amen. Per hoc presens instrumentum publicum universis pateat evidenter, quod anno ab incarnatione eiusdem 1338 die 16 mensis julii, hora quasi septima eiusdem diei, indictione 6, pontificatus domini Benedicti pape XII. anno quarto, in pomerio sito juxta villam Renensem super alveum Regni, ubi principes electores sacri imperii Romani ad habendos tractatus super electionibus aut aliis negociis ipsius imperii solent ut plurimum convenire, reverendi in Christo patres ac domini domini Henricus Maguntinae, Walranus Coloniensis et Baldewinus Treverensis ecclesiarum archiepiscopi necnon illustres principes et domini domini Radulphus, Rupertus et Rupertus ac Stephanus, representantes comitem palatinum regni, cum non esset diffinitum, quis eorum comes esse debeat vocem habens, nec non Radulphus dux Saxoniae ac Ludowicus marchio Brandenburgensis invicem congregati et presentialiter constituti super juribus imperii et consuetudinibus eiusdem pertractandis, habitis quoque [tractatibus] cum quampluribus sepedicti imperii fidelibus clericis et laicis

1) Hier scheint einiges ausgefallen, das nach dem deutschen Texte so zu ergänzen wäre: — propter ulla mandata, a quocumque illa dari possent. Quodsi dubium. —

ibidem similiter presentibus vocatisque nobis tribus notariis publicis propter hoc, concorditer et conformiter, factis inter eos ipsos per ordinem sub prestitis eorum juramentis requisitionibus, prout moris est ipsorum principum, diffinitive dixerunt iudicaverunt et diffiniendo pronunciaverunt hoc esse de jure et antiqua consuetudine imperii approbata, quod postquam aliquis a principibus electoribus imperii vel a maiori parte numero eorundum principum etiam in discordia pro rege Romanorum est electus, non indiget nominatione approbatione confirmatione assensu vel auctoritate sedis apostolice super administratione bonorum et jurium imperii sive titulo regis assumendis, et quod super hiis merito talis electus non habet recurrere sedem ad eandem, sed quod sic est habitum obtentum et observatum a tempore, de cuius principio memoria non existit, quod electi a principibus electoribus imperii concorditer vel a maiori parte, ut supra, sibi titulum regium assumserunt ac bona et jura imperii administrarunt, et quod de jure et consuetudine hoc licite facere potuerunt et poterunt, nulla approbatione vel licencia dicte sedis apostolice super hoc habita et obtenta. Hiis pronunciatis et taliter diffinitis prefati domini principes electores omnes et singulos ibidem in eorum tractatibus et consilio tunc presentes fideles et vasalos imperii sub eorum juramentis imperio debitis seu prestitis singulariter requisierunt, quod ipsis super tractatis et diffinitis ac pronunciatis imperii juribus et consuetudinibus videretur. Qui omnes et singuli per eadem verba vel hiis similia pronunciando sententiando diffiniendo in eo finaliter concordaverunt, in quo supra dictorum electorum principum mens resedit.

d) Wir Heinrich von gotes gnaden ertzbischof zu Meintz und des heiligen Romischen richs in Tůtschen Landen oberister cantzeller verjehen offenlichen mit disem brief umb die buntnůss und verainung, di wir und di andern curfürsten gemeinlichen ze Rains an dem nechsten dornstag nach sant Margareten tag gesworn gesprochen und gemacht haben dem rich ze hilf und des richs er friheit und gůt zu beschirmen und hantzehaben mit unsern brifen als verre wir uns des vermůgen, das wir mit derselben buntnusse und verainung, als wir das rich begriffen und in den briefen benant haben, meinen unsern herren den keyser Ludwigen von Rom und das Romischen rich, das er inne hat, und nieman anders. Und geloben und wellen darůber in gůten truwen, das alle di brief geheizz und buntnusse, di wir im vor getan haben, stet und gantz beliben. Und sullen *wir* die halten in der wise, als wir die mit im vorher uzgetragen und gemacht haben. Ze urchund diezzs briefs versigelt mit unserm insigel, der geben ist ze Rains an dem vorgenanten tag der obenn benennet ist, nach Christes geburt driuzehenhundert jar darnach in dem aht und drizzigisten jar.

12. Das sog. Gesetz „licet juris“ des Frankfurter Reichstags von 1338.

Wir geben die oft (z. B. bei F. M. Oertel, Die Staatsgrundgesetze des deutschen Reichs (1841) S. 47—49) gedruckte Vulgat-Fassung dieses Gesetzes. — Vgl. Karl Müller, Der Kampf Ludwigs des Baiern mit der römischen Kurie, Bd. II (1880), S. 77 ff. u. 292 ff.

Licet iuris utriusque testamenta manifeste declarent, imperialem dignitatem et potestatem immediate in filio Dei ab antiquo processisse et Deum per imperatorem et reges mundi iura humano generi aperte tribuisse; et quod imperator ex sola electione eorum, ad quos pertinet, verus efficitur imperator nec alicuius alterius eget confirmatione seu approbatione, quoniam in terris quoad temporalia non habet superiorem, sed eidem gentes subsunt et nationes, et ipse Dominus noster Jesus Christus mandavit, quae sunt Dei Deo, et quae sunt caesaris caesari reddenda; quia tamen nonnulli avaritiae et ambitionis caecitate ducti et nullius scripturae intelligentiam habentes, sed divertentes a tramite recti sensus in quaedam iniqua et prava commenta et in assertiones detestabiles prorumpentes contra potestatem et auctoritatem imperialem et iura imperatorum, electorum et aliorum principum et imperii fidelium committunt, fallaciter asserentes, quod imperialis dignitas et potestas est a papa, et quod electus in imperatorem non est verus imperator nec rex, nisi prius per papam sive sedem apostolicam confirmetur, approbetur et coronetur; et per huiusmodi pravas assertiones et pestifera dogmata hostis antiquus movet lites, iurgia suscitat, contentiones parit et seditiones procurat: ideo ad tantum malum evitandum de consilio et consensu electorum et aliorum principum Imperii declaramus, quod imperialis dignitas et potestas est immediate a solo Deo; et quod de iure et imperii consuetudine antiquitus approbata, postquam aliquis eligitur in imperatorem sive regem ab electoribus imperii concorditer vel maiori parte eorundem, statim ex sola electione est rex verus et imperator Romanorum censendus et nominandus et eidem debet ab omnibus imperio subiectis obediri; et administrandi iura imperii et cetera faciendi, quae ad imperatorem verum pertinent, plenariam habet potestatem, nec papae sive sedis apostolicae aut alicuius alterius approbatione confirmatione auctoritate indiget vel consensu.

Et eapropter hac in perpetuum valitura lege decernimus, ut electus in imperatorem concorditer vel a maiori parte electorum ex sola electione censeatur et habeatur ab omnibus pro vero et legitimo imperatore, et eidem ab omnibus subiectis imperio debeat obediri, et administrationem et iurisdictionem imperialem et imperialis potestatis plenitudinem habeat, et habere ac obtinere ab omnibus censeatur et firmiter asseratur.

Quicunque autem contra haec declarata decreta vel definita aut aliquid eorum asserere seu dicere aut asserentibus seu

dicentibus consentire vel eorum mandatis vel literis vel praeceptis obedire praesumpserint, eos omnibus feudis, quae ab imperio detinent, et omnibus gratiis iurisdictionibus privilegiis et immunitatibus a nobis vel praedecessoribus nostris eis concessis ex nunc privamus et ipso iure et facto decernimus esse privatos. Insuper eos crimen laesae maiestatis decernimus incurrisse et poenis omnibus impositis crimen laesae maiestatis committentibus subiacere.

Datum in oppido nostro de Franckenfurt die octava mensis augusti anno Domini 1338.

13. Die Goldene Bulle Kaiser Karls IV. 1356.

Ueber die Ausfertigungen, Ausgaben u. s. w. der G. B. vgl. O. Harnack, Das Kurfürstenkollegium bis zu der Mitte des vierzehnten Jahrhunderts (1883) S. 137—195. Daselbst S. 202 ff. „kritischer Abdruck der ältesten Ausfertigung der G. B." Vgl. hierzu H. Bresslau: Deutsche Literaturzeitung Jg. 1883 Nr. 47 und Th. Lindner: Mitteilungen des Instituts für österreichische Geschichtsforschung Bd. V (1884), S. 96—120; ferner Harnack: Forschungen zur Deutschen Geschichte Bd. XXIV (1884), S. 445—452; Lindner ibid. Bd. XXV S. 184—187 und nochmals Harnack ibid. Bd. XXV (1885), S. 583.

Der hier gegebene Text ist ein Abdruck des Harnackschen mit Berücksichtigung der Verbesserungen Lindners und Bresslaus.

[I. Gesetze, publiciert zu Nürnberg am 10. Januar 1356.]

Omnipotens eterne deus, spes unica mundi!
Qui celi fabricator ades, qui conditor orbis:
Tu populi memor esto tui! sic mitis ab alto
Prospice, ne gressum faciat, ubi regnat Erinis
Imperat Allecto leges dictante Megera;
Sed potius virtute tui, quem diligis, hujus
Cesaris insignis Karoli, deus alme, ministra,
Ut valeat ductore pio per amena vireeta
Florentum semper nemorum sedesque beatas
Ad latices intrare pios, ubi semina vite
Divinis animantur aquis et fonte superno
Letificata seges spinis mundatur ademptis,
Ut messis queat esse dei mercisque future
Maxima centenum cumulare per horrea fructum.

[Folgen in sämmtlichen Ausfertigungen die Überschriften der ersten 21 Kapitel, in der Mainzischen noch die des 22. Kapitels.]

In nomine sancte et individue trinitatis feliciter amen. Karolus quartus divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus et Boemie rex. ad perpetuam rei memoriam. omne regnum in se ipsum divisum desolabitur; nam principes ejus facti sunt socii furum, ob quod dominus miscuit in medio eorum spiritum vertiginis, ut palpent in meridie sicut in tenebris, et candelabra eorum movit de loco suo, ut ceci sint et duces ce-

corum et qui ambulant in tenebris offendunt et ceci mente scelera perpetrant, que in divisione contingunt. dic, superbia, quomodo in Lucifero regnasses, si divisionem auxiliatricem non habuisses? dic, Sathan invide, quomodo Adam de paradiso ejecisses, nisi eum ab obediencia divisisses? dic, luxuria, quomodo Troyam destruxisses, nisi Helenam a viro suo divisisses? dic, ira, quomodo Romanam rem publicam destruxisses, nisi in divisione Pompejum et Julium sevientibus gladiis ad intestina prelia concitasses? tu quidem, invidia, Christianum imperium a deo ad instar sancte et individue trinitatis fide spe et caritate virtutibus theologicis roboratum, cujus fundamentum super Christianissimo regno feliciter stabilitur, antiquo veneno (velut serpens in palmites imperiales et membra ejus propinquiora) impio scelere vomuisti, ut concussis columpnis totum edificium ruine subiceres; divisionem inter septem electores sacri imperii, per quos velut septem candelabra lucentia in unitate spiritus septiformis sacrum illuminari debet imperium, multociens posuisti. sane cum ex officio, quo cesarea dignitate potimur, futuris divisionum et dissensionum periculis inter electores ipsos, de quorum numero ut rex Boemie esse dinoscimur, ratione duplici tam ex imperio quam electionis jure quo fungimur occurrere teneamur, infra scriptas leges ad unitatem inter electores fovendam et electionem unanimem inducendam ac detestande divisioni predicte variisque periculis ex ea sequentibus aditum precludendum in solempni curia nostra Nurembergensi assedentibus nobis omnibus principibus electoribus ecclesiasticis et secularibus ac aliorum principum comitum baronum procerum nobilium et civitatum multitudine numerosa in solio majestatis cesaree imperialibus infulis insigniis et dyademate decorati matura deliberatione previa de imperialis potestatis plenitudine edidimus statuimus et duximus sanciendas sub anno millesimo trecentesimo quinquagesimo sexto indictione nona IV. id. januarii regnorum nostrorum anno decimo, imperii vero primo.

1. Qualis esse debeat conductus electorum et a quibus.

[1] Decernimus et presenti edicto imperiali perpetuo valituro sanccimus ex certa scientia et de imperialis plenitudine potestatis, ut, quotienscunque et quandocunque futuris temporibus necessitas sive casus electionis regis Romanorum in imperatorem promovendi emerserit, et principes electores ad electionem hujusmodi juxta antiquam laudabilem consuetudinem habuerint proficisci, unusquisque princeps elector, si et quando super hoc fuerit requisitus, quoslibet principes coelectores suos vel ipsorum nuncios, quos ad electionem ipsam transmiserint, per terras territoria et loca sua et eciam ultra, sicut longius poterit, conducere teneatur et eis absque dolo prestare conductum versus civitatem, in qua talis electio fuerit celebranda, et ab illa eciam redeundo sub pena perjurii ac perditionis pro illa dumtaxat vice sue vocis, quam in electione hujusmodi fuerat habiturus; quas quidem penas eos vel

eum, qui in prestando memorato conductu rebelles seu rebellem, negligentes vel negligentem se prebuerint, eo ipso decernimus incidisse.

[2] Statuimus insuper et mandamus universis aliis principibus feuda a sacro imperio Romano tenentibus, quocunque nomine censeantur, necnon comitibus baronibus militibus clientibus nobilibus et ignobilibus civibus et communitatibus castrorum civitatum et locorum sacri imperii universis, ut eodem tempore, dum videlicet regis Romanorum in imperatorem promovendi electio celebranda occurrerit, unumquemque principem electorem ab ipsis vel eorum aliquo conductum hujusmodi postulantem vel ejusdem nuncios, quos ad electionem ipsam direxerit, ut prefertur, per territoria sua et alias, quanto possint remotius, absque dolo modo predicto conducant. si qui vero huic nostre constitutioni contraire presumpserint, subscriptas ipso facto penas incurrant: omnes quidem principes et comites barones nobiles milites et clientes et universi nobiles contrarium facientes reatum perjurii et privationem omnium feudorum, que a sacro Romano imperio et a quibuscunque aliis obtinent, et eciam omnium possessionum suarum a quocunque habitarum incurrant; omnes quoque cives et communitates contra premissa facere presumentes similiter sint perjuri et nichilominus universis suis juribus libertatibus privilegiis et graciis a sacro obtentis imperio sint omnino privati et cum personis et bonis suis omnibus bannum et proscriptionem imperialem incurrant. et eosdem, quos ipso facto exnunc prout extunc omni jure privamus, deinceps cuilibet hominum auctoritate propria et sine judicio seu invocatione magistratus cujuslibet impune licebit invadere, nullamque penam propter hoc invadens ipsos debebit ab imperio aut quovis alio formidare, presertim cum contra rempublicam et sacri statum ac dignitatem imperii ac eciam contra honorem proprium et salutem tante rei temerarii neglectores tanquam rebelles inobedientes et perfidi infideliter et perverse agere convincantur.

[3] Decernentes insuper et mandantes, ut omnium civitatum cives et communia jam dictis principibus electoribus et eorum cuilibet hoc poscenti eorumque nunciis victualia in communi precio atque cursu pro suis seu nunciorum predictorum hominumque suorum necessitatibus, dum ad predictam civitatem causa celebrande electionis predicte accesserint et eciam dum discesserint ab eadem, vendere seu vendi facere teneantur, nullam in premissis fraudem quomodolibet adhibendo; alioquin contrarium facientes penas illas volumus ipso facto incurrere, quas in precedentibus contra cives et communitates duximus promulgandas. quisquis insuper ex principibus comitibus baronibus militibus clientibus nobilibus seu ignobilibus civibus seu communitatibus civitatum principi electori ad electionem de rege Romanorum celebrandam eunti vel ab ipsa denuo redeunti hostiles custodias tendere seu insidias parare presumpserit aut ipsos vel eorum

aliquem in sua vel suorum personis aut rebus invadere vel turbare seu ipsorum vel alicujus eorum nuncios antedictos, (sive conductum petierint sive eciam non duxerint exigendum) hunc unacum universis malitie sue complicibus ipso facto supradictas penas decernimus incurrisse, ita videlicet, quod quevis persona penam incidat sive penas, quas juxta premissa pro qualitate personarum duximus infligendas.

[4] Si vero aliquis princeps elector cum aliquo suo coelectore inimicicias gereret et inter eos quecunque contentio controversia seu dissensio verteretur, hiis nequaquam obstantibus alter alterum vel alterius nuncios ad electionem hujusmodi destinandos premisso modo conducere sit astrictus sub pena perjurii ac perditionis ea vice dumtaxat sue vocis in electione, ut superius est expressum.

[5] Si qui vero alii principes comites barones milites clientes nobiles vel ignobiles cives vel communia civitatum cum aliquo principe electore vel pluribus ex eisdem adversam gererent voluntatem seu quevis discordia inter ipsos ad invicem vel guerra sive dissensio verteretur, nichilominus omni contradictione et dolo cessantibus principi electori vel principibus seu ejus vel ipsorum nunciis ad electionem hujusmodi destinandis et redeuntibus ab eadem, talem debeant prestare conductum, prout singuli penas jamdictas per nos in se latas voluerint evitare, quas eos qui secus fecerint incurrisse decernimus eo ipso. ad premissorum autem omnium firmitatem et certitudinem ampliorem jubemus et volumus, ut universi principes electores et ceteri principes necnon comites barones nobiles civitates seu ipsarum communitates premissa omnia literis et juramentis suis firmare et ad ea bona fide ac sine dolo implenda efficaciter se debeant obligare. quicunque vero literas hujusmodi dare renuerit, penas illas ipso facto incidat, quas pro personarum conditione per premissa singulis duximus infligendas.

[6] Si quis autem princeps elector aliusve princeps cujuscunque conditionis aut status feudum vel feuda a sacro tenens imperio aut comes baro vel nobilis seu successores talium vel heredes supra et infra scriptas imperiales nostras constitutiones et leges adimplere noluerit aut eis contraire presumpserit, si quidem talis princeps elector constiterit, extunc ceteri sui coelectores a suo ipsum deinceps excludant consortio, ipseque voce electionis et aliorum principum electorum loco dignitate careat atque jure nec investiatur de feudis, que a sacro imperio visus fuerit obtinere. alius vero princeps aut vir nobilis, ut prefertur, in has nostras leges committens similiter non investiatur de feudis, que a sacro imperio vel alias obtinet a quocumque, et nichilominus omnes penas premissas suam concernentes personam incidat eo ipso.

[7] Quamvis autem universos principes comites barones nobiles milites clientes civitates quoque et communitates illarum ad prestandum cuilibet principi electori vel ejus nunciis prefatum

conductum, ut predicitur, indistincte velimus et decreverimus obligari, nichilominus eorum cuilibet singulares conductus et conductores pro regionum et locorum adjacentia cuilibet magis aptos duximus designandos, ut statim per sequencia plenius apparebit.

[8] Primo namque regem Boemie sacri imperii archipincernam conducent archiepiscopus Maguntinensis, Bambergensis et Herbipolensis episcopi, burgravii Nurembergensis; item illi de Hohenloch, de Wertheim, de Brunecke et de Hanow; item civitates Nurembergensis Rotemburg et Windesheim.

[9] Deinde archiepiscopum Coloniensem sacri imperii per Italiam archicancellarium conducent et conducere tenebuntur Maguntinensis et Treverensis archiepiscopi, comes Palatinus Reni, lantgravius Hassie; item de Katzenellebogen, de Nassow, de Dietz comites; item de Isemburg de Westirburg de Runkel de Limpurg et Falkenstein; item civitates Wetflaria Geylnhusen et Fridberg.

[10] Item archiepiscopum Treverensem sacri imperii per Galliam et regnum Arelatense archicancellarium conducent archiepiscopus Maguntinensis, comes Palatinus Reni; item de Spanheim, de Veldenez comites; item Ruhgraven Wildegraven de Nassow de Isemburg de Westirburg de Runkel de Limpurg de Dietz de Katzenellebogen de Eppenstein de Falkenstein; item civitas Maguntinensis.

[11] Deinde comitem Palatinum Reni sacri imperii archidapiferum conducere debebit archiepiscopus Maguntinensis.

[12] Ducem vere Saxonie sacri imperii archimarescallum tenebitur conducere rex Boemie, Maguntinensis et Magdeburgensis archiepiscopi; item Bambergensis et Herbipolensis episcopi, marchio Misnensis, lantgravius Hassie; item Fuldensis et Hersfeldensis abbates, burgravii Nurembergenses; item illi de Hohenloch de Wertheim de Brunecke de Hanow de Falkensteyn; item civitates Erfordia Molhusen Nuremberg Rotemburg et Windesheim. et hii omnes proxime nominati marchionem Brandemburgensem sacri imperii archicamerarium similiter conducere tenebuntur.

[13] Volumus autem et expresse statuimus, ut unusquisque princeps elector; qui talem voluerit habere conductum, hiis, a quibus ipsum postulare decreverit, hoc ipsum adeo tempestive viamque qua fuerit transiturus insinuet et talem conductum exposcat, ut illi, qui ad conductum hujusmodi impendendum deputati et taliter fuerint requisiti, ad hoc oportune se valeant et comode preparare.

[14] Premissas vero constituciones circa materiam conductus editas ita sane debere declaramus intelligi, ut unusquisque superius nominatus vel forsitan non expressus, a quo in casu premisso conductum requiri contigerit, ad prestandum ipsum per suas dumtaxat terras et territoria ac etiam ultra, quanto potest remotius, absque dolo sub penis contentis superius sit astrictus.

[15] Preterea statuimus et eciam ordinamus, ut archiepiscopus Maguntinensis, qui fuerit pro tempore, singulis principibus coe-

lectoribus suis ecclesiasticis et secularibus electionem eandem per suos nuncios patentibus debeat literis intimare; in quibus quidem literis talis dies et terminus exprimatur, infra quem eedem litere ad singulos eosdem principes verisimiliter possint pervenire; hujusmodi vero litere continebunt, ut a die in literis ipsis expressa infra tres menses continuos omnes et singuli principes electores Frankenfurd super Moganum esse debeant constituti vel suos legales ad eundem terminum atque locum nuncios destinare cum plena et omnimoda potestate suisque patentibus literis majori cujuslibet eorum sigillo signatis ad eligendum Romanorum regem in Cesarem promovendum. qualiter autem et sub qua forma tales litere confici debeant, et que in eis solempnitas debeat immutabiliter observari, et in qua forma et modo principes electores nuncios ad electionem hujusmodi destinandos ac potestatem mandatum seu procuratoria ordinare debuerint, ad finem presentis libri conscriptum invenitur clarius et expressum, et eandem formam illic traditam mandamus et de imperialis potestatis plenitudine usquequaque decernimus observari.

[16] Cum autem ad hoc perventum fuerit, quod de imperatoris vel regis Romanorum obitu in diocesi Maguntina constiterit, extunc infra unum mensem a die noticie obitus hujusmodi continue numerandum singulis principibus electoribus obitum ipsum et intimationem, de quibus premittitur, per archiepiscopum Maguntinensem jubemus et decernimus suis patentibus literis declarari; quod si idem archiepiscopus in executione et intimatione hujusmodi negligens aut remissus fortassis existeret, extunc iidem principes motu proprio eciam non vocati pro fidei sue virtute, qua sacrum prosequi tenentur imperium, post hoc infra tres menses, sicut in constitutione supra proxime posita continetur, in civitate Frankenford sepedicta conveniant electuri regem Romanorum in Cesarem promovendum.

[17] Debet autem unusquisque princeps elector vel sui nuncii predictam civitatem Frankenford cum ducentis equitaturis tantummodo prefate electionis tempore introire, in quorum numero quinquaginta tantum armatos vel pauciores introducere secum poterit, sed non plures.

[18] Princeps vero elector ad electionem hujusmodi vocatus et requisitus et ad ipsam non veniens vel legales nuncios cum literis patentibus sigillo suo majori sigillatis plenamque et liberam ac omnimodam potestatem continentibus ad eligendum Romanorum regem futurum imperatorem non dirigens, aut veniens aut hujusmodi nuncios forte transmittens, si postea princeps ipse aut predicti nuncii a predicto electionis loco recederent rege Romanorum futuro Cesare non electo nec ad premissa procuratore legitimo substituto solempniter et relicto, electionis voce seu jure, quod in eadem electione habuit et tali modo deseruit, careat ea vice.

[19] Injungimus autem civibus de Frankenford et mandamus, ut ipsi universos principes electores in genere et quemlibet eorum

ab invasione alterius, si quid inter eos adversitatis emergeret et eciam ab omni homine cum omnibus eorum hominibus, quos ipsi et eorum quilibet in prefato ducentorum equorum suorum numero ad prefatam duxerint civitatem, in virtute juramenti, quod super hoc ipsos ad sancta prestare statuimus, fideli studio et solerti diligentia protegant et defendant; alioquin perjurii reatum incurrant et nichilominus omnia jura sua libertates privilegia gracias et indulta, que a sacro obtinere noscuntur imperio, omnino amittant bannumque imperiale cum personis et bonis suis omnibus incidant eo ipso; et liceat extunc omni homini auctoritate propria ac sine judicio cives eosdem, quos eo casu exnunc prout extunc omni jure privamus, tanquam proditores infideles et rebelles imperii impune invadere, ita quod invadentes hujusmodi penam quamcunque a sacro imperio vel quovis alio nequaquam debeant formidare.

[20] Cives insuper antedicti de Frankenford per omne tempus illud, quo super electione sepedicta tractari et agi contigerit, neminem in prefatam civitatem cujuscunque dignitatis conditionis vel status extiterit, intromittant vel intrare quovis modo permittant, principibus electoribus et eorum nunciis et procuratoribus antedictis dumtaxat exceptis, quorum quilibet cum ducentis equis debebit ut predicitur intromitti. si vero post ipsorum principum electorum introitum seu in ipsorum presentia in prefata civitate aliquem reperiri contigerit, illius exitum cives ipsi debebunt absque mora et cum effectu protinus ordinare sub omnibus penis contra ipsos superius promulgatis ac eciam in virtute juramenti, quod cives ipsi de Frankenford super eo virtute presentis constitutionis prestare debebunt ad sancta, ut in precedentibus est expressum.

2. De electione Romanorum regis.

[1] Postquam autem sepedicti electores seu nuncii civitatem Frankenfordensem ingressi fuerint, statim sequenti die diluculo in ecclesia sancti Bartholomei apostoli ibidem in omnium suorum presentia missam de sancto spiritu faciant decantari, ut ipse sanctus spiritus corda ipsorum illustret et eorum sensibus lumen sue virtutis infundat, quatenus ipsi suo fulti presidio hominem justum bonum et utilem eligere valeant in regem Romanorum futurumque cesarem ac pro salute populi Christiani. peracta quoque missa hujusmodi omnes illi electores seu nuncii accedant ad attare, in quo missa eadem extitit celebrata, ubi principes electores ecclesiastici coram ewangelio beati Johannis „In principio erat verbum", quod illic ante ipsos poni debebit, manus suas pectori cum reverentia superponant; seculares vero principes electores dictum ewangelium corporaliter manibus suis tangant, qui omnes cum tota ipsorum familia ibi debebunt inermes assistere. et archiepiscopus Maguntinensis formam juramenti eis dabit et una cum ipsis, et ipsi vel absentium nuncii una cum eo juramentum prestabunt vulgariter in hunc modum:

[2] „Ego archiepiscopus Maguntinensis sacri imperii per Ger-„maniam archicancellarius ac princeps elector juro ad hec sancta „dei ewangelia hic presentialiter coram me posita, quod ego per „fidem, qua deo et sacro Romano imperio sum astrictus, secun-„dum omnem discretionem et intellectum meum cum dei adju-„torio eligere volo temporale caput populo Christiano (id est „regem Romanorum in cesarem promovendum, qui ad hoc existat „ydoneus), in quantum discretio et sensus mei me dirigunt, et „secundum fidem predictam; vocemque meam et votum seu elec-„tionem prefatam dabo absque omni pacto stipendio precio vel „promisso seu quocumque modo talia valeant appellari. sic me „deus adjuvet et omnes sancti."

[3] Prestito denique per electores seu nuncios in forma et modo predictis hujusmodi juramento ad electionem procedant nec amodo de jam dicta civitate Frankenford separentur, nisi prius major pars ipsorum temporale caput mundo elegerit seu populo Christiano regem videlicet Romanorum in cesarem promovendum; quod si facere distulerint infra triginta dies a die prestiti juramenti prefati continuo numerandos, extunc transactis eisdem triginta diebus amodo panem manducent et aquam et nullatenus civitatem exeant antedictam, nisi prius per ipsos vel majorem partem ipsorum rector seu temporale caput fidelium electum fuerit, ut prefertur.

[4] Postquam autem in eodem loco ipsi vel pars eorum major numero elegerit, talis electio perinde haberi et reputari debebit, ac si foret ab ipsis omnibus nemine discrepante concorditer celebrata; sique per tempus aliquod morari abesse et tardare contingeret aliquem de electoribus seu nunciis antedictis, dum tamen veniret, antequam predicta esset electio celebrata, hunc ad electionem ipsam in eo statu admitti debere decernimus, in quo ipsa adventus sui tempore consistebat. et quia de antiqua approbata et laudabili consuetudine inconvulse quod subscribitur semper extitit hactenus observatum, ideoque et nos constituimus et de imperialis decernimus plenitudine potestatis, quod is, qui modo premisso in regem fuerit Romanorum electus, peracta statim electione hujusmodi, priusquam in aliquibus causis aliis sive negociis virtute sacri imperii administret, universis et singulis principibus electoribus ecclesiasticis et secularibus, qui propinquiora sacri imperii membra esse noscuntur, omnia ipsorum privilegia literas jura libertates et concessiones antiquas consuetudines et eciam dignitates et quicquid ipsi ab imperio usque in diem electionis sue obtinuerunt et possederunt absque dilatione et contradictione confirmare et approbare debeat per suas literas et sigilla ipsisque premissa omnia innovare, postquam imperialibus fuerit infulis coronatus. confirmationem autem hujusmodi electus ipse cuilibet principi electori in specie primo suo nomine regali faciet et deinde sub imperiali titulo innovabit, et in hiis ipsos pincipes

omnes in genere et quemlibet eorum in specie nullatenus impedire, sed potius absque dolo graciose tenebitur promovere.

[5] In casu denique, quo tres principes electores presentes seu absentium nuncii quartum ex se seu ipsorum consortio (videlicet principem electorem) presentem vel absentem in regem Romanorum eligerent, vocem illius electi, si presens affuerit, aut nunciorum ipsius, si eum abesse contingeret, plenum vigorem habere et eligentium augere numerum partemque majorem decernimus constituere ad instar ceterorum principum electorum.

3. De sessione Treverensis Coloniensis et Maguntinensis episcoporum.

In nomine sancte et individue trinitatis feliciter amen. Karolus quartus divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus et Boemie rex. ad perpetuam rei memoriam. decor et gloria sacrosancti Romanorum imperii et honor cesareus et rei publice grata compendia venerabilium et illustrium principum electorum concordi voluntate foventur, qui velut columpne proceres sacrum edificium circumspecte prudentie solerti pietate sustentant, quorum presidio dextra imperialis potentie roboratur et quanto mutui favoris ampliori benignitate stringuntur, tanto uberioris pacis et tranquillitatis commoda feliciter profluunt populo christiano. Ut igitur inter venerabiles Maguntinensem Coloniensem necnon Treverensem archiepiscopos sacri imperii principes electores omnium litium et suspectuum materie, que et qui de prioritate seu dignitate sessionum suarum in curiis imperialibus et regalibus suboriri valerent in posterum, perpetuis inantea temporibus amputentur et ipsi in cordis et animorum quieta conditione manentes de oportunitatibus sacri imperii concordi favore et virtuose dilectionis studio convenientius meditari valeant pro consolatione populi Christiani, habita deliberatione cum omnibus principibus electoribus tam ecclesiasticis quam secularibus et de imperatorie potestatis plenitudine hac edictali lege perpetua valitura sanccimus, quod supradicti venerabiles archiepiscopi: Treverensis videlicet ex opposito et lineari directione versus imperatoris faciem, Maguntinensis vero in suis diocesi et provincia et extra provinciam suam in toto cancellariatu suo Germanico, provincia Coloniensi dumtaxat excepta, et demum Coloniensis in suis diocesi et provincia et extra provinciam suam in tota Italia et Gallia in dextro latere Romanorum cesaris sedere possint valeant et debeant in omnibus publicis actibus imperialibus, puta judiciis collationibus feudorum et in refectionibus mensarum ac eciam in consiliis et omnibus aliis agendis, propter que contingit seu continget eosdem pro honore seu utilitate imperiali tractandis mutuo convenire. et hunc modum sessionis sub omni eo ordine, sicut expressatur superius, ad praedictorum Coloniensis Treverensis Maguntini archiepiscoporum successores perpetuo extendi volumus, ut nullo unquam tempore super hiis quevis dubietas generetur.

4. De principibus electoribus in communi.

Statuimus insuper, ut, quotienscunque imperialem curiam exnunc in antea celebrari contigerit (in qualibet sessione videlicet, tam in consilio quam in mensa et locis aliis quibuscunque, ubi imperatorem vel regem Romanorum cum principibus electoribus sedere contigerit), a dextro latere imperatoris vel regis Romanorum immediate post archiepiscopum Maguntinensem vel Coloniensem (illum videlicet, quem tunc temporis pro qualitate locorum et varietate provinciarum juxta privilegii sui tenorem dicto lateri dextro imperatoris assidere contigerit) rex Boemie, cum sit princeps coronatus et unctus, primum et post eum comes palatinus Reni secundum sedendi loca debeant obtinere; ad sinistram vero partem, immediate post illum, quem ex praedictis archiepiscopis in latere sinistro sedere continget, primum locum dux Saxonie et post eum marchio Brandemburgensis alterum obtinebit.

Ceterum quotiens et quando deinceps sacrum vacare continget imperium, extunc Maguntinensis archiepiscopus potestatem habebit, sicut potestatem habuisse dinoscitur ab antiquo, ceteros principes antedictos suos in dicta electione consortes literatorie convocandi, quibus omnibus seu hiis, qui poterunt et voluerint interesse, in electionis termino congregatis dictus archiepiscopus Maguntinensis et non alter, eorundem coelectorum suorum vota singulariter habebit inquirere ordine subsequenti : primo quidem interrogabit a Treverensi archiepiscopo, cui primam vocem competere declaramus, sicut invenimus hactenus competisse, secundo a Coloniensi archiepiscopo, cui competit dignitas necnon officium Romanorum regi primum dyadema regium imponendi, tercio a rege Boemie, qui inter electores laycos ex regie dignitatis fastigio jure et merito obtinet primaciam, quarto a comite palatino Reni, quinto a duce Saxonie, sexto a marchione Brandemburgensi; horum omnium vota premisso jam ordine dictus archiepiscopus Maguntinensis perquiret. quo facto dicti principes sui consortes ipsum viceversa requirent, ut et ipse intentionem suam exprimat et ipsis aperiat votum suum. preterea in celebratione imperialis curie marchio Brandeburgensis aquam lavandis imperatoris vel regis Romanorum manibus ministrabit; primum vero potum rex Boemie, quem tamen sub corona regali juxta privilegiorum regni sui continentiam, nisi libera voluntate voluerit, non tenebitur ministrare; comes eciam palatinus cibum afferre tenebitur, et dux Saxonie marescallatus officium exercebit, ut solitum est fieri ab antiquo.

5. De jure comitis palatini et eciam Saxonie ducis.

Quotiens insuper ut premittitur sacrum vacare continget imperium, illustris comes palatinus Reni sacri imperii archidapifer ad manus futuri regis Romanorum in partibus Reni et Suevie et in jure franconico ratione principatus seu comitatus palatini privilegio esse debet provisor ipsius imperii cum potestate judicia

exercendi, ad beneficia ecclesiastica presentandi, recolligendi redditus et proventus et investiendi de feudis, juramenta fidelitatis vice et nomine sacri imperii recipiendi, que tamen per regem Romanorum postea electum suo tempore omnia innovari et de novo sibi juramenta ipsa prestari debebunt, feudis principum dumtaxat exceptis et illis, que vanlehen vulgariter appellantur, quorum investituram et collationem soli imperatori vel regi Romanorum specialiter reservamus. ipse tamen comes palatinus omne genus alienationis seu obligationis rerum imperialium hujusmodi provisionis tempore expresse sibi noverit interdictum. et eodem jure provisionis illustrem ducem Saxonie sacri imperii archimarescallum frui volumus in illis locis, ubi Saxonica jura servantur, sub omnibus modis et conditionibus, sicut superius est expressum.

Et quamvis imperator sive rex Romanorum super causis, pro quibus impetitus fuerit, habeat, sicut ex consuetudine introductum dicitur, coram comite palatino Reni sacri imperii archidapifero electore principe respondere, illud tamen judicium comes ipse palatinus non alibi preterquam in imperiali curia, ubi imperator seu Romanorum rex presens extiterit, poterit exercere.

6. De comparatione principum electorum ad alios principes communes.

Decernimus, ut in celebratione imperialis curie, quotienscunque illam deinceps perpetuo celebrari contigerit, antedicti principes electores ecclesiastici et seculares juxta prescriptum ordinem atque modum a dextris et a sinistris immutabiliter teneant loca sua, eisque vel eorum alicui in quibuscunque actibus ad curiam ipsam spectantibus eundo sedendo vel stando nullus princeps alius, cujuscunque status dignitatis preminentie vel conditionis existat, ullatenus preferatur, eo signanter expresso, quod nominatim rex Boemie in celebratione curiarum hujusmodi in omnibus et singulis locis et actibus antedictis quemcunque regem alium, quacunque eciam singulari dignitatis prerogativa fulgentem, quem quovis casu seu causa venire vel adesse forte contigerit, immutabiliter antecedat.

7. De successione principum.

Inter solicitudines illas innumeras, quibus pro felici statu sacri imperii, cui auctore domino feliciter presidemus, cor nostrum cotidie fatigatur, ad hoc precipue meditatio nostra dirigitur, qualiter desiderata et salubris semper unio inter sacri imperii principes electores jugiter vigeat et eorum corda in sincere caritatis concordia conserventur, quorum providentia suo tempore orbi fluctuanti tanto celerius tantoque facilius subvenitur, quanto inter eos nullus error surrepserit et purior fuerit caritas custodita, obscuritate succisa et jure cujuslibet dilucide declarato. sane generaliter longe lateque est publicum et quasi per totum orbem notorie manifestum, illustres regem Boemie necnon comitem palatinum Reni ducem Saxonie et marchionem Brandemburgensem

virtute regni et principatuum suorum in electione regis Romanorum in cesarem promovendi cum ceteris principibus ecclesiasticis suis coelectoribus jus vocem et locum habere et unacum ipsis censeri et esse veros et legitimos sacri imperii principes electores. ne inter eorundem principum secularium electorum filios super jure voce et potestate prefata futuris temporibus scandalorum et dissensionum possit materia suscitari, et sic bonum commune periculosis dilationibus impediri, futuris auctore deo cupientes periculis salubriter obviare, statuimus et imperiali auctoritate presenti lege perpetuis temporibus valitura decernimus, ut, postquam iidem principes electores seculares et eorum quilibet esse desierit, jus vox et potestas electionis hujusmodi ad filium primogenitum legitimum laicum, illo vero non extante ad ejusdem primogeniti primogenitum similiter laicum libere et sine contradictione cujuspiam devolvatur. si vero primogenitus hujusmodi absque heredibus masculis legitimis laicis ab hac luce migraret, virtute presentis imperialis edicti jus vox et potestas electionis predicte ad seniorem fratrem laicum per veram paternalem lineam descendentem et deinceps ad illius primogenitum laicum devolvatur, et talis successio in primogenitis et heredibus principum eorundem in jure voce et potestate premissis perpetuis temporibus observetur, ea tamen conditione et modo, ut si principem electorem seu ejus primogenitum aut filium seniorem laicum mori et heredes masculos legitimos laicos defectum etatis pacientis relinquere contingeret, tunc frater senior ejusdem primogeniti tutor eorum et administrator existat, donec senior ex eis legitimam etatem attigerit, quam in principe electore decem et octo annos completos censeri volumus et statuimus perpetuo et haberi; quam dum exegerit, jus vocem et potestatem et omnia ab ipsis dependentia tutor ipse sibi totaliter cum officio teneatur protinus assignare.

Si vero aliquem ex hujusmodi principatibus ipsorum imperio sacro vacare contingeret, tunc imperator seu rex Romanorum qui pro tempore fuerit de ipso providere debebit et poterit, tanquam de re ad se et imperium legitime devoluta, salvis semper privilegiis juribus et consuetudinibus regni nostri Boemie super electione regis in casu vacationis per regnicolas, qui jus habent eligendi regem Boemie, facienda juxta continentiam eorundem privilegiorum et observatam consuetudinem diuturnam a divis Romanorum imperatoribus sive regibus obtentorum, quibus ex hujusmodi sanctione imperiali in nullo prejudicari volumus, ymo ipsa decernimus nunc et perpetuis futuris temporibus in omni suo tenore et forma indubiam tenere roboris firmitatem.

8. De regis Boemie et regnicolarum ejus immunitate.

Cum per divos Romanorum imperatores et reges predecessores nostros illustribus Boemie regibus progenitoribus et predecessoribus nostris necnon regno Boemie ejusdemque regni corone olim concessum fuerit graciosius et indultum sitque in

regno eodem a tempore, cujus contrarii hodie non existit memoria, consuetudine laudabili inconvulse servata diuturnitate temporum et prescripta moribus utentium, sine contradictionis aut interruptionis obstaculo introductum, quod nullus princeps baro nobilis miles cliens burgensis civis nulla denique persona ejusdem regni et pertinentiarum ejus ubicunque consistentium, cujuscunque status dignitatis preminencie vel conditionis existat, ad cujuscunque actoris instantiam extra regnum ipsum, ad quodcunque tribunal seu alterius preterquam regis Boemie et judicum regalis curie sue judicium citari potuerit sive trahi nec vocari debeat perpetuis inantea temporibus sive possit; ideoque privilegium consuetudinem et indultum hujus auctoritate imperiali et de imperialis potestatis plenitudine ex certa scientia innovantes et eciam confirmantes hac presenti nostra constitutione imperiali perpetuis temporibus valitura statuimus, ut si contra privilegium consuetudinem vel indultum prefatum quispiam predictorum (puta princeps baro nobilis miles cliens civis burgensis seu rusticus aut alia quecunque persona premissa) ad cujuscunque tribunal extra regnum predictum Boemie in quacunque causa criminali civili vel mixta seu super quocunque negocio citatus fuerit quocunque tempore, vel citata comparere vel in judicio respondere minime teneatur. quodsi adversus hujusmodi non comparentes vel comparentem a quocunque judice, cujuscunque auctoritatis existat, extra regnum Boemie constituto judicialiter procedi, processus fieri seu sententias interlocutorias vel diffinitivas, unam vel plures, in quibuscunque prenominatis causis sive negociis quovis modo ferri et promulgari continget, auctoritate premissa de plenitudine insuper antedicte imperatorie potestatis citationes precepta processus et sententias hujusmodi necnon executiones et omnia, que ex eis vel aliquo eorum quomodolibet sequi attemptari possent vel fieri, irritamus penitus et cassamus, adiicientes expresse et edicto imperiali perpetuo valituro eadem auctoritate et de premisse potestatis plenitudine decernentes, ut, quemadmodum in predicto regno Boemie a tempore, cujus contrarii non habetur memoria, jugiter observatum existit, ita nulli prorsus principi baroni nobili militi clienti civi burgensi seu rustico, nulli demum persone seu incole regni Boemie sepedicti, cujuscunque status preminentie dignitatis vel condicionis existant vel existat, a quibuscunque processibus sententiis interlocutoriis vel diffinitivis sive preceptis regis Boemie aut quorumcunque suorum judicum necnon executionibus eorundem contra se in regali judicio seu coram regis regni seu predictorum judicum tribunalibus factis aut latis habitis vel ferendis inantea seu fiendis liceat ad quodcunque aliud judicium appellare, provocaciones quoque seu appellationes hujusmodi, si quas contra hoc interponi contigerit, eo ipso viribus non subsistant, et appellantes ipsi penam perditionis causarum ipso facto se noverint incurrisse.

9. De auri argenti et aliarum specierum mineris.

Presenti constitutione imperpetuum valitura statuimus ac de certa scientia declaramus, quod successores nostri Boemie reges necnon universi et singuli principes electores ecclesiastici et seculares, qui perpetuo fuerint, universas auri et argenti fodinas atque mineras stanni cupri ferri plumbi et alterius cujuscunque generis metalli ac eciam salis tam inventas quam inveniendas in posterum quibuscunque temporibus in regno predicto ac terris et pertinentiis eidem regno subjectis, necnon supradicti principes in principatibus terris dominiis et pertinentiis suis tenere juste possint et legitime possidere cum omnibus juribus nullo prorsus excepto, prout possunt seu consueverunt talia possideri, necnon judeos habere, tholonea in preterito statuta et indicta percipere, quodque progenitores nostri reges Boemie felicis memorie ipsique principes electores ac progenitores et predecessores eorum legitime potuerint usque in presens, sicut hoc antiqua laudabili et approbata consuetudine diuturnique ac longissimi temporis cursu prescripta noscitur observatum.

10. De monetis.

[1] Statuimus preterea, ut regi Boemie successori nostro, qui fuerit pro tempore, sicut constat ab antiquo illustribus Boemie regibus nostris predecessoribus licuisse et in possessione pacifica continua ipsos fuisse juris subsequentis: videlicet monetas auri et argenti in omni loco et parte regni sui et subditarum ei terrarum et pertinentiarum omnium, ubi rex ipse decreverit sibique placuerit, cudi facere et mandare sub omni modo et forma in regno ipso Boemie in hiis ad hec usque tempora observatis; [2] quodque futuris perpetuo Boemie regibus hac nostra imperiali constitutione et gracia perpetuo valituris a quibuscunque principibus magnatibus comitibus ac personis aliis quascunque terras castra possessiones predia sive bona liceat emere comparare seu in donum vel donationem ex quacunque causa in obligationem recipere sub talium terrarum castrorum possessionum prediorum seu bonorum conditione consueta, ut videlicet propria recipiantur vel comparentur ut propria, libera velut libera, et ea que dependent in feudum similiter emantur in feudum, seu comparata taliter teneantur; ita tamen, quod ipsi reges Boemie de hiis, que hoc modo comparaverint vel receperint et regno Boemie duxerint applicanda, ad pristina ac consueta jura de talibus sacro explenda et reddenda imperio sint astricti. [3] presentem nichilominus constitutionem et graciam virtute presentis legis nostre imperialis ad universos principes electores tam ecclesiasticos quam seculares successores et legitimos heredes ipsorum plene extendi volumus sub omnibus modis et conditionibus ut prefertur.

11. De immunitate principum electorum.

[1] Statuimus eciam, ut nulli comites barones nobiles feudales

vasalli castrenses milites clientes cives burgenses nulle quoque persone Coloniensi Maguntinensi et Treverensi ecclesiis subjecti vel subjecte, cujuscunque status conditionis vel dignitatis existant, ad cujuscunque actoris instantiam extra territorium et terminos ac limites earundem ecclesiarum et pertinentiarum suarum ad quodcunque aliud tribunal seu cujusvis alterius preterquam archiepiscoporum Maguntinensis Treverensis et Coloniensis et judicum suorum judicium citari potuerint temporibus retroactis vel trahi seu vocari debeant perpetuis inantea temporibus sive possint, sicut preteritis invenimus temporibus observatum; quod si contra presens edictum nostrum predictos ecclesiarum Treverensis Maguntinensis seu Coloniensis subditos vel eorum aliquem seu aliquos ad cujuscunque instantiam seu ad cujuscunque tribunal pro quacunque causa criminali civili vel mixta seu quocunque negotio extra territorium limites seu terminos dictarum ecclesiarum vel alicujus earum citari contingeret, comparere vel respondere minime teneantur, et citatio*nem* ac processus et sententi*as* interlocutori*as* vel diffinitiv*as* contra non venientes a talibus judiciis extraneis lat*as* vel fact*as*, fiend*as* vel ferend*as* necnon precepta et premissorum executiones et omnia, que ex eis vel aliquo eorum quomodolibet sequi attemptari possent vel fieri, irrita decernimus eo ipso, adjicientes expresse, quod nulli comiti baroni nobili feudali vasallo castrensi militi clienti civi rustico, nulli demum persone ecclesiis hujusmodi subjecte seu ejus incole, cujuscunque status dignitatis vel condicionis existant, a processibus sententiis interlocutoriis et diffinitivis sive preceptis archiepiscoporum et ecclesiarum hujusmodi vel suorum officiatorum temporalium aut executionibus eorundem contra se in archiepiscopali seu officiatorum predictorum judicio factis aut latis habitis vel ferendis inantea seu fiendis ad quodcunque tribunal aliud liceat appellare, quamdiu in archiepiscoporum predictorum et suorum judicio querulantibus non fuerit justicia denegata; appellationes contra hoc factas non recipi statuimus cassasque et irritas nunciamus; in defectu vero justicie predictis omnibus ad imperialem dumtaxat curiam et tribunal seu judicis immediate in imperiali curia pro tempore presidentis audienciam et eciam eo casu non ad quemvis alium judicem sive ordinarium sive eciam delegatum hiis, quibus denegata fuerit justicia, liceat appellare. quicquid vero contra premissa factum fuerit, sit irritum eo ipso. eandem constitutionem virtute presentis legis nostre imperialis ad illustres comitem palatinum Reni, ducem Saxonie et marchionem Brandeburgensem principes electores seculares sive laicos, heredes successores et subditos eorum plene extendi volumus sub omnibus modis et conditionibus ut prefertur.

12. De congregatione principum.

Inter illas multiplices rei publice curas, quibus assidue mens nostra distrahitur, multa consideratione necessarium fore prospexit

nostra sublimitas, ut sacri imperii principes electores ad tractandum de ipsius imperii orbisque salute frequentius solito congregentur, qui solide bases imperii et columpne immobiles, quemadmodum per longinquas ad invicem terrarum consistunt distancias, ita de incumbentibus regionum sibi cognitarum defectibus referre simul et conferre noverunt sanisque providentie consiliis non ignorant accomodis talium reformationibus salubriter opem dare. hinc est, quod in solempni curia nostra in Nuremberg cum venerabilibus ecclesiasticis et illustribus secularibus principibus electoribus et multis aliis principibus et proceribus per nostram celsitudinem celebrata, habita cum eisdem principibus electoribus deliberatione et de ipsorum consilio pro bono et salute communi cum dictis principibus electoribus tam ecclesiasticis quam secularibus duximus ordinandum, quod iidem principes electores de cetero per singulos annos semel transactis a festo pasche resurrectionis dominice quatuor septimanis continue numerandis in aliqua civitatum sacri imperii personaliter congregentur, et ad idem tempus proxime affuturum seu anno presenti colloquium seu curia et congregatio hujusmodi in civitate nostra imperiali Metensi per nos et eosdem principes celebretur, ac tunc et deinceps die quolibet congregationis hujusmodi locus per nos, quo sequenti anno conveniant, ipsorum consilio statuatur, hac nostra ordinatione ad nostrum et ipsorum dumtaxat beneplacitum duratura. qua durante ipsos sub nostro imperiali conductu recipimus ad dictam curiam accedendo stando et eciam recedendo. preterea ne tractatus communis salutis et pacis per tractum et moram solacii seu excessivam frequentationem convivii retardetur, ut aliquando fieri est consuetum, concordi voluntate duximus ordinandum, ut deinceps curia seu congregatione prefata durante generales omnium principum celebrare alicui non liceat invitatas, particulares vero, que agendorum expeditionem non impediant, cum moderamine sint permisse.

13. De revocatione privilegiorum.

Preterea statuimus et hoc imperiali perpetuo sanccimus edicto, quod universa privilegia et litere quibuscunque personis, cujuscunque status preminentie vel dignitatis existant, seu civitatum opidorum et quorumlibet locorum universitatibus super quibuscunque juribus gratiis emunitatibus consuetudinibus seu rebus aliis eciam proprio motu seu alias a nobis vel recolende memorie divis Romanorum imperatoribus et regibus predecessoribus nostris sub quibuscunque verborum tenoribus concessa et concesse seu a nobis vel successoribus nostris Romanorum imperatoribus et regibus inantea concedenda seu concedende non debeant aut possint libertatibus jurisdictionibus juribus honoribus seu dominiis principum electorum sacri imperii ecclesiasticorum et secularium aut alicujus ipsorum in aliquo penitus derogare, eciam si in talibus privilegiis et literis quarumlibet personarum, cujuscunque preminentie dignitatis aut status extiterint, ut prefertur, seu universi-

tatum hujusmodi expresse cautum sit vel fuerit in futurum, quod revocabilia seu revocabiles esse non debeant, nisi de ipsis et toto in eis comprehenso tenore in tali revocatione fieret de verbo ad verbum seriatim mentio specialis. hujusmodi namque privilegia et literas, si et in quantum libertatibus jurisdictionibus juribus honoribus seu dominiis dictorum principum electorum aut alicujus ipsorum derogare censentur in aliquo, quo ad hoc revocamus ex certa scientia et cassamus revocataque et revocatas intelligi et haberi decernimus de plenitudine imperatorie potestatis.

14. De hiis, quibus ut indignis auferuntur bona feudalia.

In plerisque partibus vasalli et feudatarii dominorum feuda seu beneficia, que a dominis ipsis obtinent, intempestive verbaliter et in fraude renunciant seu resignant eadem et facta resignatione hujusmodi dominos ipsos maliciose diffidant suasque inimicicias eis denunciant dampna ipsis subsequenter gravia inferendo et beneficia seu feuda sic relicta pretextu guerre seu inimicicie iterum invadunt et occupant ac detinent occupata. ea propter presenti constitucione in perpetuum valitura sanccimus, quod talis resignacio seu renunciacio haberi debeat pro non facta, nisi libere et realiter facta fuerit per eosdem, ita quod possessio beneficiorum et feudorum hujusmodi dominis ipsis corporaliter et realiter assignetur, in tantum quod nullo unquam tempore diffidantes ipsi in bonis feudis seu beneficiis resignatis dominos ipsos perturbent per se vel alios aut molestent nec ad hoc consilium prestent auxilium vel favorem. contrarium faciens seu dominos suos in beneficiis et feudis resignatis vel non resignatis invadens quomodolibet vel perturbans vel dampna in ipsis inferens seu consilium auxilium prestans talia facientibus vel favorem feuda et beneficia hujusmodi eo ipso amittat, infamis existat et banno imperiali subjaceat et nullus ad feuda vel beneficia hujusmodi pateat ei de cetero quocunque tempore aditus vel regressus nec de novo concedi sibi valeant ullo modo, et facta eis contra hec illorum concessio seu investitura secuta viribus non subsistat. postremo omnes penas predictas illos vel illum, qui predicta resignatione non facta contra dominos suos fraudulenter agentes vel agens scienter eos invaserint vel invaserit diffidacione quacunque previa vel obmissa vigore presentis sanccionis incurrere decernimus eo ipso.

15. De conspirationibus.

Detestandas preterea et sacris legibus reprobatas conspirationes et conventiculas seu colligationes illicitas in civitatibus et extra, vel inter civitatem et civitatem, inter personam et personam sive inter personam et civitatem, pretextu parentele seu receptionis in cives vel alterius cujuscunque coloris conjurationes, insuper et confederationes et pacta necnon et consuetudinem circa hujusmodi introductam, quam censemus potius corruptelam, reprobamus dampnamus et ex certa scientia irritamus, quas civitates seu per-

sone cujuscunque dignitatis condicionis aut status sive inter se sive cum aliis absque auctoritate dominorum, quorum subditi vel ministeriales seu in quorum districtu consistunt, eisdem dominis nominatim exceptis fecerunt hactenus et facere presumpserint in futuro, sicut eas per sacras divorum augustorum predecessorum nostrorum leges prohibitas non ambigitur et cassatas, illis confederationibus et ligis dumtaxat exceptis, quas principes et civitates ac alii super generali pace provinciarum atque terrarum inter se firmasse noscuntur; illas enim nostre declarationis specialiter reservantes in suo decernimus vigore manere, donec de hiis aliud duxerimus ordinandum. et personam singularem, que de cetero contra tenorem presentis constitutionis nostre et legis antique super hoc edite confederationes colligationes conspirationes et pacta hujusmodi inire presumpserit, ultra penam legis ejusdem notam infamie et penam decem librarum auri, civitatem vero vel universitatem in hanc legem nostram similiter committentem centum librarum auri necnon amissionis et privationis libertatum et privilegiorum imperialium penas incurrere decernimus eo ipso, medietate pene hujusmodi pecuniarie fisco imperiali, reliqua vero domino districtus, in cujus prejudicium facte fuerint, applicanda.

16. De pfalburgeriis.

Ceterum quia nonnulli cives et subditi principum baronum et aliorum hominum, sicuti frequens ad nos querela perduxit, jugum originarie subjectionis quaerentes abjicere, ymo ausu temerario contempnentes in aliarum civitatum cives recipi se procurant et frequentius in preterito procurarunt et nichilominus in priorum dominorum, quos tali fraude presumpserunt vel presumunt deserere, terris civitatibus opidis et villis corporaliter residentes civitatum, ad quas hoc modo se transferunt, libertatibus gaudere et ab eis defensari contingunt, qui in partibus Alamannie pfalburgerii consueverunt vulgariter appellari : quoniam igitur patrocinari non debent alicui fraus et dolus, de imperatorie potestatis plenitudine omnium principum electorum ecclesiasticorum et secularium sano accedente consilio ex certa sciencia statuimus et presenti lege perpetuo valitura sanccimus, quod predicti cives et subditi eis quibus subsunt taliter illudentes in omnibus terris locis et provinciis sacri imperii a presenti die imposterum civitatum, in quarum cives tali fraude recipi se procurant vel hactenus procurarunt, juribus et libertatibus in nullo potiantur, nisi ad hujusmodi civitates corporaliter et realiter transeuntes ibique larem foventes et continue et vere ac non ficte residentiam facientes debita onera et municipalia subeant munera in eisdem. si qui vero contra presentis nostre legis tenorem recepti sunt vel fuerint in futurum, illorum receptio omni careat firmitate, et recepti, cujuscunque conditionis dignitatis aut status existant, in nullo casu penitus sive causa civitatum, ad quas recipi se procurant, juribus vel libertatibus gaudeant quomodolibet vel fruantur, non obstantibus

quibuscunque juribus privilegiis consuetudinibus observatis quantocunque tempore et obtentis, quas et que, in quantum presenti nostre legi obviant, presentibus ex certa scientia revocamus de predicte imperialis plenitudine potestatis omnique carere decernimus robore firmitatis, circa premissa omnia principum dominorum et aliorum hominum, quos taliter deseri contigit et continget in posterum, juribus circa personas et bona subditorum quorumcunque ipsos sepedicto modo deserentium semper salvis. hos nichilominus, qui sepedictos cives et subditos alienos recipere contra presentis nostre legis dispositionem presumpserint vel recipere in preteritum presumpserunt, si eos omnino non dimiserint infra mensem post intimationem presentium eis factam, centum marcas auri puri pro transgressione hujusmodi tociens, quociens deinceps factum fuerit, incurrere decernentes, quarum medietas imperiali fisco nostro, reliqua vero dominis illorum, qui recepti fuerint, irremissibiliter applicetur.

17. De diffidationibus.

Eos, qui de cetero adversus aliquos justam diffidationis causam se habere fingentes ipsos in locis, ubi domicilia non obtinent aut ea communiter non inhabitant, intempestive diffidant, declaramus dampna quecunque per incendia spolia vel rapinas diffidatis ipsis cum honore suo inferre non posse. et quia patrocinari non debent alicui fraus et dolus, presenti constitutione imperpetuum valitura sanccimus, diffidantes hujusmodi quibuscunque dominis aut personis, cum quibus aliqui fuerint in societate familiaritate vel honesta quavis amicicia conversati, sic factas vel fiendas in posterum non valere nec licere pretextu diffidationis cujuslibet quempiam invadi per incendia spolia vel rapinas, nisi diffidatio per tres dies naturales ipsi diffidando personaliter vel in loco quo habitare consuevit publice fuerit intimata possitque de intimatione hujusmodi per testes ydoneos fieri plena fides. quisquis secus quempiam diffidare et invadere modo premisso presumpserit, infamiam eo ipso incurrat, ac si nulla diffidatio facta esset, quem eciam tanquam proditorem per quoscunque judices penis legalibus statuimus castigari.

Prohibemus eciam et dampnamus universas et singulas guerras et lites injustas, cuncta quoque injusta incendia spolia et rapinas, indebita et inconsueta tholonea et conductus et exactiones pro ipsis conductibus extorqueri consuetas sub penis, quibus sacre leges premissa et eorum quodlibet sancciunt punienda.

18. Litera intimationis.

Vobis illustri et magnifico principi domino marchioni Brandemburgensi sacri imperii archicamerario coelectori et amico nostro carissimo electionem Romanorum regis, que ex rationabilibus causis imminet facienda, presentibus intimamus vosque ex officio nostro debito ad electionem prefatam rite vocamus, quatenus a die tali etc.

infra tres menses continuo computandos per vos seu nuncios aut procuratores vestros unum vel plures sufficiens mandatum habentes ad locum debitum juxta formam sacrarum legum super hoc editarum venire curetis, deliberaturi tractaturi et concordaturi cum aliis principibus coelectoribus vestris et nostris de electione futuri regis Romanorum in imperatorem postmodum favente domino promovendi, in eodem mansuri usque ad plenam consummationem electionis hujusmodi et alias facturi et processuri, prout in sacris legibus super hoc deliberate editis invenitur expressum; alias non obstante vestra seu vestrorum absentia in premissis una cum aliis conprincipibus et coelectoribus nostris, prout legum ipsarum sanccivit auctoritas, finaliter procedemus.

19. Forma procuratorii mittendi per eum principem electorem, qui nuncios suos ad electionem faciendam duxerit destinandos.

Nos . . . . talis dei gracia etc. sacri imperii etc. notum facimus tenore presentium universis, quod, cum electio Romanorum regis ex rationabilibus causis imminet facienda, nos de honore et statu sacri imperii solicitudine debita intendere cupientes, ne tam gravibus dispendiis periculose subjaceat, de fide et circumspectionis industria dilectorum nobis . . . et . . . fidelium nostrorum obtinentes utique presumptionis indubie fiduciam singularem, ipsos et quemlibet eorum in solidum, ita quod non sit melior condicio occupantis, sed quod per unum inceptum fuerit, per alium finiri valeat et liceat terminari, omni jure modo et forma, quibus melius et efficacius possumus seu valemus, nostros veros et legitimos procuratores et nuncios speciales facimus constituimus et ordinamus ad tractandum ubilibet una cum aliis comprincipibus et coelectoribus nostris tam ecclesiasticis quam secularibus et cum ipsis concordandum conveniendum et concludendum de persona quacunque habili ac ydonea in regem Romanorum eligenda et ipsis tractatibus super electione talis persone habendis pro nobis loco et nomine nostro interessendum tractandum et deliberandum necnon vice et nomine nostris eandem personam nominandum et in ipsam consentiendum ac eciam in regem Romanorum promovendum ad sacrum imperium eligendum ac in animam nostram prestandum, quodcunque juramentum necessarium debitum seu consuetum fuerit circa premissa et quodlibet premissorum, alium vel alios procuratores in solidum substituendum et revocandum et omnia et singula faciendum, que in premissis et circa premissa eciam usque ad consumationem tractatuum nominationis deliberationis et electionis hujusmodi de presenti faciende necessaria aut utilia fuerint seu eciam quomodolibet oportuna, eciam si premissa vel eorum quodlibet mandatum exigant speciale, eciamsi majora vel magis singularia fuerint supradictis, et que nosmetipsi facere possumus, si hujusmodi tractatuum deliberationis nominationis et electionis future negociis presentes et personaliter adessemus, gratum et ratum habentes et habere volentes et nos perpetuo

habituros firmiter promittentes, quicquid per antedictos procuratores seu nuncios nostros necnon substitutos aut substituendos ab ipsis seu eorum altero in premissis seu premissorum quolibet actum gestum seu factum fuerit aut quomodolibet ordinatum.

20. De unione principatuum electorum et jurium eis connexorum.

Cum universi et singuli principatus, quorum virtute seculares principes electores jus et vocem in electione regis Romanorum in Cesarem promovendi obtinere noscuntur, cum jure hujusmodi necnon officiis dignitatibus et juribus aliis eis et cuilibet eorum annexis et dependentibus ab eisdem adeo conjuncti et inseparabiliter sint uniti, quod jus vox officium et dignitas, alia quoque jura ad quemlibet principatuum eorundem spectantia cadere non possint in alium preter illum, qui principatum ipsum cum terra vasallagiis feudis et dominiis ac ejus pertinentiis universis dinoscitur possidere, presenti edicto imperiali perpetuo valituro sanccimus, unumquemque principatuum predictorum cum jure et voce electionis ac officio ceterisque omnibus dignitatibus juribus et pertinentiis ad ipsum spectantibus ita perseverare et esse debere unitum perpetuis temporibus indivisibiliter et conjunctum, quod possessor principatus cujuslibet eciam juris vocis officii et dignitatis et pertinentiarum omnium ad illum spectantium quieta debeat et libera possessione gaudere ac princeps elector ab omnibus reputari, ipseque et nemo alius per ceteros principes electores ad electionem et omnes actus alios pro sacri imperii honore vel oportunitate gerendos omni tempore assumi sine contradictione qualibet et admitti nec aliquod premissorum ab altero, cum sint et esse debeant inseparabilia, dividi vel ullo tempore debeat separari aut in judicio vel extra divisim repeti valeat aut evinci vel eciam per sententiam separari, nec aliquis unum sine alio impetens audiatur. quod si per errorem vel alias auditus quis fuerit, aut processus judicium sententia vel aliquid hujuscemodi contra presentem dispositionem nostram emanaverit seu quomodolibet attemptari contigerit, hoc totum et omnia ex hiis et quolibet eorum sequentia eo ipso viribus non subsistant.

21. De ordine processionis inter archiepiscopos.

Quoniam autem superius in principio constitutionum nostrarum presentium circa ordinem sessionis ecclesiasticorum principum electorum in consilio et in mensa et alias, quotiens imperialem curiam celebrari seu principes electores deinceps cum imperatore vel rege Romanorum congregari contigerit, sufficienter duximus providendum, super qua priscis audivimus temporibus pluries disceptatum, expedire credimus eciam processionis et deambulationis inter eos ordinem diffinire. quapropter hoc perpetuo imperiali edicto decernimus, ut quotienscunque in congregatione imperatoris vel regis Romanorum et principum predictorum imperatore vel rege ipso deambulante insignia ante faciem suam

portari contigerit, archiepiscopus Treverensis in directa dyametrali linea ante imperatorem vel regem transeat, illique soli medii inter eos ambulent, quos imperialia vel regalia continget insignia deportare; dum autem imperator vel rex absque insigniis eisdem incesserit, ex tunc idem archiepiscopus imperatorem vel regem prefato modo precedat, ita quod nemo penitus inter eos medius habeatur, aliis duobus archiepiscopis electoribus loca sua juxta distinctionem provinciarum suarum circa sessionem superius declaratam eciam circa processionem perpetuo servaturis.

22. De ordine processionis principum electorum et per quos insignia deportentur.

Ad declarandum autem in imperatoris vel regis Romanorum deambulantis presentia processionis ordinem principum electorum, de qua supra fecimus mentionem, statuimus, ut quotienscunque in celebratione imperialis curie principes electores cum imperatore vel rege Romanorum in quibuscunque actibus vel solempnitatibus processionaliter ambulare contigerit, et imperalia vel regalia debuerint insignia deportari, dux Saxonie imperialem seu regalem ensem deferens imperatorem seu regem immediate precedat et inter illum et archiepiscopum Treverensem medius habeatur; comes vero palatinus pomum imperiale portans a latere dextro, et marchio Brandemburgensis sceptrum deferens a sinistro latere ipsius ducis Saxonie lineariter gradiantur; rex autem Boemie imperatorem seu regem ipsum immediate nullo interveniente sequatur.

23. De benedictionibus archiepiscoporum in presentia imperatoris.

Quotiens insuper in imperatoris vel regis Romanorum presentia missarum solempnia celebrari ac Maguntinensem Treverensem et Coloniensem archiepiscopos vel duos ex eis adesse contigerit, in confessione, que ante missam dici consuevit ac in porrectione ewangelii osculandi et pace post „agnus dei" portanda necnon et in benedictionibus post finita missarum solempnia ac eciam ante mensam faciendis et in gratiis post cibum acceptum agendis is inter eos ordo servetur, prout de ipsorum consilio duximus ordinandum: quod prima die hec omnia et singula a primo, secunda die a secundo, tercia vero a tercio peragantur. primum autem vel secundum seu tercium hoc casu, secundum quod prius vel posterius quilibet eorum consecratus existit, debere intelligi declaramus. et ut se invicem honore condigno ac decenti preveniant et exemplum aliis prebeant invicem honorandi, is, quem circa premissa ordo tetigerit, ad hec alterum conniventia et caritativa inclinatione invitet et tunc demum ad premissa procedat seu quodlibet premissorum.

[II. Gesetze, publiciert zu Metz 25. December 1356.]

24.

[1] Si quis cum principibus militibus vel privatis seu quibus-

cunque personis plebeis eciam scelestam factionem aut factionis ipsius inierit sacramentum vel dederit de nece venerabilium et illustrium nostrorum et sacri Romani imperii tam ecclesiasticorum quam secularium principum electorum seu alterius eorundem (nam et ipsi pars corporis nostri sunt; eadem enim severitate voluntatem sceleris quam effectum puniri jura voluerunt), ipse quidem utpote majestatis reus gladio feriatur bonis ejus omnibus fisco nostro addictis; [2] filii vero ejus, quibus vitam imperiali specialiter lenitate concedimus (paterno enim deberent perire supplicio, in quibus paterni, hoc est hereditarii, criminis metiuntur exempla), a materna vel avita, omni eciam proximorum hereditate et successione habeantur alieni, testamentis aliorum nihil capiant, sint perpetuo egentes et pauperes, infamia eos paterna semper comitetur, ad nullum unquam honorem, nulla prorsus sacramenta perveniant, sint postremo tales, ut hiis perpetua egestate sordentibus sit et mors solacium et vita supplicium. [3] denique jubemus eos esse notabiles sine venia, qui pro talibus unquam apud nos intervenire temptaverint. [4] ad filias sane eorum, quolibet numero fuerint, falcidiam tantum ex bonis matris, sive intestata defecerit, volumus pervenire, ut habeant mediocrem pocius filie alimoniam quam integrum et emolumentum aut nomen heredis consequantur; mitior enim circa eas debet esse sententia, quas pro infirmitate sexus minus ausuras esse confidimus. [5] emancipaciones quoque, que a predictis sive in filios post legem dumtaxat latam sive in filias fuerint collata, non valeant; [6] dotes donaciones quorumlibet, postremo item alienaciones, quas ex eo tempore qualibet fraude vel jure factas esse constiterit, quo primum memorati de ineunda faccione ac societate cogitaverint, nullius statuimus esse momenti; [7] uxores sane predictorum recuperata dote (si in ea condicione fuerint, ut, que a viris titulo donacionis acceperint, filiis debeant reservare) tempore, quo usufructus absumitur, omnia ea fisco nostro se relicturas esse cognoscant, que juxta legem filiis debebantur; [8] falcidia eciam ex hiis rebus filiabus tantum, non eciam filiis deputetur. [9] id quod de predictis eorumque filiis cavimus, eciam de satellitibus consciis ac ministris filiisque eorum simili severitate censemus. [10] sane si quis ex hiis in exordio inite factionis studio vere laudis accensus ipse prodiderit factionem, premio a nobis et honore donabitur; is vero, qui usus fuerit factione, si vel sero tamen incognita adhuc consiliorum archana patefecerit, absolutione tamen ac venia dignus habebitur. [11] statuimus insuper, ut, si quid contra predictos principes electores ecclesiasticos vel seculares commissum dicatur, eciam post mortem rei id crimen instaurari posse [*statt* possit]. [12] in hoc item crimine, quod ad lesam in principibus electoribus suis majestatem pertinet, eciam in caput domini servi torquentur. [13] volumus insuper et presenti imperiali sancimus edicto, ut eciam post mortem nocencium hoc crimen inchoari possit, in convicto mortuo memoria ejus dampnetur et bona ejus successoribus ejus eripi-

antur. [14] nam ex quo sceleratissimum quis ceperit consilium, exinde quodam modo sua mente punitus est; porro ex quo quis tale crimen contraxit, neque alienare neque manumittere eum posse nec ei solvere jure debitorem decernimus. [15] in hac enim causa in caput domini servos torqueri statuimus, id est propter causam factionis dampnande contra principes electores ecclesiasticos et seculares, ut premittitur. [16] et si decesserit quis propter insertam personam, successoris bona serventur, si in causa hujusmodi fuisse mortuus arguatur.

25.

Si ceteros principatus congruit in sua integritate servari, ut corroboretur justicia et subjecti fideles pace gaudeant et quiete, multo magis magnifici principatus dominia honores et jura electorum principum debent illesa servari, (nam ubi majus incumbit periculum, majus debet remedium adhiberi) ne columpnis ruentibus basis totius edificii collidatur; decernimus igitur et hoc perpetuis temporibus valituro imperiali sancimus edicto, quod exnunc in antea perpetuis futuris temporibus insignes et magnifici principatus, videlicet regnum Boemie, comitatus palatinus Reni, ducatus Saxonie et marchionatus Brandemburgensis, terre districtus homagia seu vasallagia et alia quevis ad ipsa spectancia scindi dividi seu quavis condicione dimembrari non debeant, sed ut pocius in sua perfecta integritate perpetua maneant, primogenitus filius succedat in eis sibique soli jus et dominium competat, nisi forsitan mente captus fatuus seu alterius famosi et notabilis defectus existeret, propter quem non deberet seu posset hominibus principari, in quo casu inhibita sibi successione secundogenitum, si fuerit in ea progenie, seu alium seniorem fratrem vel consanguineum laicum, qui paterno stipiti in descendenti recta linea proximior fuerit, volumus successurum, qui tamen apud alios fratres et sorores se clementem et pium exhibebit, continuo juxta datam sibi a deo gratiam et juxta suum beneplacitum et ipsius patrimonii facultates, divisione scissione seu dimembracione principatus et pertinentiarum ejus sibi modis omnibus interdicta.

26.

Die, qua solempnis curia imperialis vel regia fuerit celebranda, venient circa horam primam principes electores ecclesiastici et seculares ad domum habitacionis imperialis sive regalis, et ibi imperator vel rex ipse omnibus insigniis imperialibus induetur et ascensis equis omnes vadant cum imperatore vel rege ad locum sessionis aptate, et ibit quilibet eorum in ordine et modo supra in lege de ordine processionis ipsorum principum electorum plenius diffinito. portabit eciam archicancellarius, in cujus archicancellatu hec fuerint, super baculo argenteo omnia sigilla et typaria imperialia sive regalia; seculares vero principes electores sceptrum pomum et ensem, secundum quod superius exprimitur, deportabunt; portabuntur eciam immediate ante archiepiscopum Treve-

rensem suo loco transeuntes primo Aquisgranensis, secundo Mediolanensis corona, et hoc ante imperatorem dumtaxat, qui jam imperialibus infulis est decoratus, quas gestabunt aliqui principes inferiores ad hoc per imperatorem juxta placitum deputandi.

Imperatrix vero vel regina Romanorum suis augustalibus amicta insigniis post regem vel imperatorem Romanorum et eciam post regem Boemie, qui imperatorem immediate subsequitur, competentis spacii intervallo suis associata proceribus suisque comitata virginibus ad locum sessionis procedat.

27. De officiis principum electorum in solempnibus curiis imperatorum vel regum Romanorum.

Statuimus, ut, quandocunque imperator vel rex Romanorum solempnes curias suas celebraverit, in quibus principes electores sua deservire seu exercere debent officia, subscriptus in hiis ordo servetur: primo enim, imperatore vel rege ipso in sede regia sive solio imperiali sedente, dux Saxonie officium suum agat hoc modo: ponetur enim ante edificium sessionis imperialis vel regie acervus avene tante altitudinis, quod pertingat usque ad pectus vel antelam equi, super quo sedebit ipse dux et habebit in manu baculum argenteum et mensuram argenteam, que simul faciant in pondere duodecim marcas argenti, et sedens super equo primo mensuram eandem de aveno plenam accipiet et famulo primitus venienti ministrabit eandem. quo facto figendo baculum in avenam recedet et vicemareschallus ejus, puta de Papenheim, accedens vel eo absente mareschallus curie ulterius avenam ipsam distribuet. ingresso vero imperatore vel rege ad mensam principes electores ecclesiastici, videlicet archiepiscopi stantes ante mensam cum ceteris prelatis benedicent eandem secundum ordinem, qui circa hoc eis in superioribus est prescriptus; et benedictione completa iidem archiepiscopi omnes, si assunt, alioquin duo vel unus sigilla ac typaria imperialia sive regalia a cancellario curie recipient eoque, in cujus archicancellatu curiam ipsam celebrari continget, in medio procedente et aliis duobus ex alterutro sibi junctis sigilla et typaria ipsa, omnes quidem baculum, in quo suspensa fuerint, manibus contingentes ea portabunt et ante imperatorem vel regem reverenter ponent in mensa; imperator vero sive rex eadem ipsis statim restituet, et in cujus archicancellariatu hoc fuerit, ut prefertur, is majus sigillum appensum usque ad finem mense gestabit et deinceps, donec ad hospicium suum perveniat, ab imperiali sive regali curia equitando. baculus vero, de quo premittitur, esse debebit argenteus, duodecim marcas argenti habens in pondere, cujus tam argenti quam precii partem terciam unusquisque archiepiscoporum ipsorum persolvet; et baculus ipse protinus una cum sigillis et typariis debet cancellario imperialis curie assignari in usus suos beneplacitos convertendus. postquam autem is, quem ordo tetigerit, portando sigillum majus ab imperiali curia ad hospicium suum redierit, ut prefertur, statim sigillum ipsum

per aliquem de suis familiaribus predicto imperialis curie cancellario remittet super equo, quem juxta proprie dignitatis decenciam et amorem, quem ad cancellarium curie gesserit, ipsi cancellario tenebitur elargiri.

Deinde marchio Brandemburgensis archicamerarius accedat super equo habens argenteas pelves cum aqua in manibus ponderis duodecim marcharum argenti et pulchrum manutergium et descendens ab equo dabit aquam domino imperatori vel regi Romanorum manibus abluendis.

Comes palatinus Reni intrabit similiter super equo habens in manibus quatuor scutellas argenteas cibis impletas, quarum quelibet tres marchas habeat in statera, et descendens ab equo portabit et ponet ante imperatorem vel regem in mensam.

Post hec rex Boemie archipincerna veniet similiter super equo portans in manibus cuppam seu cifum argenteum ponderis duodecim marcharum coopertum vino et aqua permixtim impletum, et descendens de equo cifum ipsum imperatori vel regi Romanorum porriget ad bibendum.

Sicut autem hactenus observatum fuisse comperimus, ita statuimus, ut peractis per principes electores seculares predictis eorum officiis ille de Falkenstein subcamerarius equum et pelves marchionis Brandemburgensis pro se recipiat; magister coquine de Nortemberg equum et scutellas comitis palatini, vicepincerna de Lymburg equum et cifum regis Boemie, vicemareschalcus de Papenheim equum baculum et mensuram predictam ducis Saxonie, si tamen ipsi in tali imperiali seu regali curia presentes existant et eorum quilibet in officio suo ministret; si vero ipsi vel eorum aliquis a prefata curia se duxerint absentandos, extunc imperialis vel regalis curie cotidiani ministri vice absencium, (puta quilibet in loco ejus absentis, cui in vocabulo seu officio communicat) sicut geret officium, sic tollat in premissis et fructum.

28.

Imperialis insuper mensa vel regia sic debet aptari, ut ultra alias aule tabulas sive mensas in altitudine sex pedum sit alcius elevata, in qua preter imperatorem Romanorum dumtaxat vel regem die solempnis curie nemo penitus collocetur.

Sedes vero et mensa imperatricis sive regine parabitur a latere in aula, ita quod ipsa mensa tribus pedibus imperiali sive regali mensa sit bassior et totidem pedibus eminencior supra sedes principum electorum, qui principes suas inter se in una eademque altitudine sedes habebunt et mensas.

Infra sessionem imperialem mense pro septem principibus electoribus ecclesiasticis et secularibus preparentur : tres videlicet a dextris et tres alie a sinistris et septima directe versus faciem imperatoris vel regis, sicut superius in capitulo de sessionibus et ordine principum electorum per nos clarius est diffinitum; ita eciam, quod nullus alius, cujuscunque dignitatis vel status existat, sedeat inter ipsos vel ad mensas eorum.

Non liceat autem alicui predictorum secularium principum electorum peracto officii sui debito se locare ad mensam sibi paratam, donec alicui suorum conprincipum electorum ejus officium restat agendum; sed cum aliquis eorum vel aliqui ministerium suum expleverint, ad preparatas sibi mensas transeant et juxta illas stando expectent, donec ceteri ministeria sua expleverint supradicta, et tunc demum omnes et singuli pariter ad mensas sibi positas se locabunt.

29.

Invenimus eciam ex clarissimis relatibus et tradicionibus antiquorum, illud a tempore, cujus contrarii non habetur memoria, per eos, qui nos precesserunt feliciter, esse jugiter observatum, ut regis Romanorum futuri imperatoris in civitate Frankenfordie celebraretur electio et prima coronacio Aquisgrani et in opido Nuremberg prima sua regalis curia haberetur; quaproper certis ex causis eciam futuris premissa servari debere temporibus declaramus, nisi premissis omnibus seu eorum alicui impedimentum legittimum obviaret. quandocunque insuper aliquis princeps elector ecclesiasticus vel secularis justo impedimento detentus ad imperialem curiam vocatus venire non valens nuncium vel procuratorem cujuscunque dignitatis vel status transmiserit, missus ipse licet loco mittentis juxta datum sibi a deo mandatum admitti debeat; in mensa tamen vel sede, que illi, qui ipsum transmittit, deputata fuerit, non sedebit.

Preterea consummatis hiis, que imperiali qualibet curia sive regali fuerint pro tempore disponenda, recipiet magister curie pro se totum edificium ligneum apparatum imperialis sive regalis sessionis, ubi sederit imperator vel rex Romanorum cum principibus electoribus ad celebrandas solempnes curias vel feuda sicut premittitur principibus conferenda.

30. De juribus officialium, dum principes feuda sua ab imperatore vel rege Romanorum recipiunt.

Decernimus hoc imperiali edicto, ut principes electores ecclesiastici et seculares, dum feuda sua sive regalia ab imperatore vel rege recipiunt, ad dandum vel solvendum aliquid nulli penitus sint astricti; nam pecunia, que tali pretextu persolvitur, officiatis debetur. cum ergo ipsi principes electores cunctis imperialis curie presint officiis, suos eciam habentes in officiis hujusmodi substitutos, datos ad hoc a Romanis principibus et dotatos, videretur absurdum, quod substituti officiales a suis superioribus quocunque quesito colore exenia postularent, nisi forte ipsi principes electores sponte et liberaliter hiis aliquid largirentur.

Porro ceteri principes imperii ecclesiastici vel seculares, dum predicto modo eorum aliquis feuda sua ab imperatore Romanorum suscipit vel a rege, dabit officialibus imperialis sive regalis curie sexaginta tres marchas argenti cum uno fertone, nisi eorum ali-

quis privilegio seu indulto imperiali vel regali tueri se posset et probare se solutum vel exemptum a talibus aut eciam aliis quibuscunque, que solvi in suscepcione feudorum hujusmodi consuevissent. predictarum insuper sexaginta trium marcharum et fertonis divisionem faciet magister curie imperialis sive regalis hoc modo : primo enim decem marchas pro semetipso reservans dabit cancellario imperialis sive regalis curie decem marchas, magistris notariis dictatoribus tres marchas et sigillatori pro cera et pergameno unum fertonem, ita videlicet, quod cancellarius et notarii principi recipienti feudum non ad aliud quam ad dandum sibi testimonialem recepti feudi seu simplicis investiture literam sint astricti.

Item dabit magister curie pincerne de Lymburg de prefata pecunia decem marchas, magistro coquine de Nortemberg decem marchas, vicemareschallo de Papenheim decem marchas et camerario de Falkenstein decem marchas, tali tamen condicione, si ipsi et eorum quilibet in hujusmodi curiis solempnibus presencialiter assunt in suis officiis ministrando; si vero ipsi vel aliqui eorum absentes fuerint, extunc officiales imperialis sive regalis curie, qui talibus presint officiis, eorum, quorum supplent absenciam, singuli singulorum, sicut vicem nomenque et laborem sufferunt, sic lucrum et commoda reportabunt.

Dum autem princeps aliquis equò vel alteri bestie insidens feuda sua ab imperatore recipiet vel rege, equus ille seu bestia, cujuscunque speciei sit, debetur superiori mareschallo, id est duci Saxonie, si presens affuerit, alioquin illi de Papenheim ejus vicemareschallo aut illo absente imperialis sive regalis curie mareschallo.

31.

Cum sacri Romani celsitudo imperii diversarum nacionum moribus vita et ydiomate distinctarum leges habeat et gubernacula moderari, dignum est et cunctorum sapientium judicio censetur expediens, quod electores principes ipsius imperii columpne et latera diversorum ydiomatum et lingwarum differenciis instruantur, ut plures intelligant et intelligantur a pluribus, qui plurimorum necessitatibus relevandis cesaree sublimitati assistunt in partem sollicitudinis constituti; quapropter statuimus, ut illustrium principum, puta regis Boemie comitis palatini Reni ducis Saxonie et marchionis Brandemburgensis electorum filii vel heredes et successores, cum verisimiliter Teuthonicum ydioma sibi naturaliter inditum scire presumatur et ab infancia didicisse, incipiendo a septimo etatis sue anno in gramatica Italica ac Sclavica lingwis instruantur; ita quod infra quartum decimum etatis annum existant in talibus juxta datam sibi a deo graciam conditi, cum illud non solum utile, ymo ex causis premissis summe necessarium habeatur, eo quod ille lingwe ut plurimum ad usum et necessitatem sacri imperii frequentari sint solite et in hiis plus ardua ipsius imperii negocia ventilentur. hunc autem proficiendi modum

in premissis ponimus observandum: ut relinquatur opcioni parentum in [*statt* ut] filios, si quos habuerint, seu proximos, quos in principatibus sibi credunt verisimiliter successuros, ad loca dirigant, in quibus de hujusmodi possint lingwagiis edoceri vel in propriis domibus pedagogos instructores et pueros consocios in hiis peritos eis adjungant, quorum conversacione pariter et doctrina in lingwis ipsis valeant erudiri.

14. Absetzung des Königs Wenzel 1400.

Abgedruckt aus Deutsche Reichstagsakten Bd. III (1877) S. 254 bis 260 mit Hinweglassung der ausführlichen Unterschriften der 7 Notare; daselbst S. 260—264 dieselbe Urkunde in lateinischer Sprache. — Vgl. J. Weizsäcker, Der Pfalzgraf als Richter über den König (1886: Abhandlungen der Gesellschaft der Wissenschaften zu Göttingen Bd. XXXIII) S. 44 ff.

In gots namen amen. wir Johann von gots gnaden der heiligen kirchen zu Mencze erczbischoff des heiligen richs durch Dutsche land erczkanczeler allen luden verkundigen wir diß beide den geinwertigen und den zukůnfftigen: wie vil und manchirley großer klegelicher gebresten irrůngen und mishel von langen jaren und zijden in der heiligen kirchen ufferstanden und noch werende sint und tegelich schedelicher ufferstehen, davon daz das heilige Rœmische rich, von dem die heilige kirche und cristenheit trost schirm und hulffe haben solde, leyder also schedelich entgledet und gemynnert und also sumeliche gehanthabet ist, daz nit alleyne unser schrieben sunder die kůntliche schymbar dait und tegeliche boße leuffte daz klerliche bewysent: darumbe . . als unser herren und middekorfursten des heiligen Romischen richs und auch wir von flißiger aneruffunge der heiligen kirchen, dy eynes schirmers, der fursten herren steten landen und luten des heiligen riches, dy eynes vorsichtigens hanthabers inneclichen begernde sint, den durchluchtigen fursten hern Wenczelaw Romischen konig und konig zu Behem von langer czijt here dicke und ernstlich davon ermanet und ersucht han ubermicz uns selben unser frunde und brieve, und yme auch eigentlichen vorgelacht han heymelichen und offenbar syne unczemeliche und erschregliche leben und handelunge des heiligen richs und auch soliche gebresten irrunge und mishel in der heiligen kirchen und cristenheit und soliche swerliche entglydunge und mynnerůnge des heiligen richs dy er schedelich und widder die wyrde synes tytels gethan und verhenget hait: [*1*] nemelich daz er der heiligen kirchen ny zu fridden gehulffen hait, daz der cristenheit eyne große notdurfft gewesen und noch were, daz yme als eynem voygde und schirmer der kirchen zubehorte, und vor yn dicke und vil darumbe gebeden ermanet und ersucht han; [*2*] so hait er auch daz heilige Romische rich swerlich und schedelichen entgledet und entgleden laßen, nemelich Meylan und daz land in

Lamparten, daz deme heiligen riche zugehoret und daz riche großen nucz und urber davon gehabt hait, darinne der von Meylan eyn dyner und amptmann waz des heiligen richs, den er nů daruff eynen herczogen und zu Pafye eynen graven gemacht hait, und hait darumbe widder synen titel und gelimp gelt genommen; [*3*] er hait auch vil stede und lande in Dutschen und Welschen landen deme riche zugehorende, und der ein teyl vorfallen sint deme heiligen riche, ubergeben und der nit geachtet noch an deme heiligen riche behalden; [*4*] so hait er auch umbe geldes willen dicke und vil syne frunde gesand mit ungeschrieben brieven, dy man nennet membranen, dy doch mit syner majestat ingesigel besigelt waren, und mochten die frunde, oder den die menbranen wurden, under dem koniglichen sigel schriben waz sy wolden, davon eyne große sorge ist daz das heilige riche an synen wirden und nůczen schedelichen beraubet und entgledet sy wurden; [*5*] so hait er auch ny keyne achte gehabt aller der mishel und kriege, dy leider manche czijt in Dutschen und in andern landen des heiligen richs swerlich und vorterplich gewesen und noch werende sint, deshalben groß raub brant und mort ufferstanden sint und tegelichen schedelicher ufferstehen, und hand noch paffen noch leygen noch ackerman noch kaufflude beyde man oder wib frieden uff deme lande oder uff deme waßer, und werdent auch kirchen clostere und andere gotshusere, die daz heilige riche hanthaben und beschirmen solde, verderplichen geraubet gebrand und genczlichen sunder gotsforchte gewůstet und vertryben, es hait auch yderman deshalben synen můtwillen widder gelimp und recht mit dem andern getryben und noch trybet sunder besorgůnge und achte des heiligen richs daz alsus versůmeliche gehalden ist worden, und enweys auch iczunt nymand fur wen er daz recht byden moge daz er von des heiligen richs wegen dabie behalden und beschirmet werde; [*6*] er hait auch, das erschreglich und ummenslich ludet, mit syns selbes hand und auch ubermicz ander ubelteder die er by yme hait erwirdige und bidderbe prelaten paffen und geistliche lude und auch vil andere erbar lude ermordet erdrenket verbrand mit fackelen und sy jemerlichen und unmenßlichen widder recht getodet, daz eyme Romischen konige unczemelichen stehet und ludet. und sint auch diße vorgeschriben artikele und vile andere großer sin ubeltad und gebresten als landkundig und offenbar daz sy nit zu beschonen noch zu decken sint. und han darumbe yn dicke und vil mit großem fliße als vor geschriben stehet gebeden ermanet und ersucht, daz er sich solichs unczemelichs lebens abetede, und darczu sich stellte und arbeydete, daz die heilige kirche, dy yn als eynen Romischen konig iren voygt dicke und vil hatte angeruffen, zu fridden und eynikeit und daz heilige riche widder zu synen wirden landen und gůteren qweme, und nůczlicher mit ganczem fliße gehanthabet wurde zu hulffe und troste der cristenheit, dy auch deßhalben swerlichen vernichtiget und gedrucket werdet. als wir

auch dem vorgenanten hern Wenczelawe als eyme Romischen konige diße und vile andere großer gebresten yn selber und daz heilige riche großlichen antreffende zu zijden klerlich han gesaget und beschriben geben, so han wir doch nach synen antwerten und nach unser widderrede und ernstlichen ersuchůnge, und nachdem wir diß alles auch den heiligen stul zu Rome von yme han laßen wißen, noch ny befůnden, daz er sich darczu gebe oder stellete, als daz eynem Romischen konige billiche zugehoret, daz er in der heiligen kirchen fryden, des der ganczen cristenheit große noit were, wulde machen und daz heilige riche widder zu synen wirden landen und guteren brengen und daz auch nůczlicher hanthaben, als daz auch in allen landen des heiligen richs wol erschynet und kůntlich ist. und wann wir diße vorgenanten und vil andere gebresten der heiligen kirchen und dem riche swerlich schedelich und klegelich anlygende, von der obgenanten anrufunge und auch von unser eyde wegen damidde wir besůnder als oberste und allernehste gelidder des heiligen richs demselben riche verbunden sin, nit furbaßer oder me verswigen und geliden konden, wir můsten, als uns daz auch zugehoret und wir daz schuldig sin zu thůne, darczu gedenken und thun, daz das heilige rich, von weliches unnůczlicher und sůmelicher handelůnge diße gebresten ufferstanden sint, furbaßer zu hulffe uud zu troste der cristenheit baß und nuczlicher gehanthabt wurde: so hatten wir nů leste anderwerbe dem vorgeschriben hern Wenczelaw als eyme Romischen konige geschriben und yn unser furderster ersuchunge eygentlich ermanet, begernde und heyschende daz er zu uns komen wolde zu Obern-Lanstein uff den Ryn und by uns sin des andern tages nach sante Laurencien tage nehstvergangen, daz heilige rich nůczlicher zu bestellen und soliche große gebresten abezulegen. und uff daz wir daz gerne gesehen hetten, so han wir yn also fulleclichen und ernstlichen ersucht und geheyschen, also, ab er nit in der vorgeschriben maße enqweme zu uns uff die vorgeschriben stad und tag, so můsten wir von anruffunge des gemeynen landes und von unser eyde wegen darczu gedenken und thun, daz das heilige riche nuczlicher gehanthabet wurde, als daz auch klerlich unser brieve innehaldent. des sin wir uff die vorgeschriben stad und tag kommen, und han auch andere unsere middekurfusten fulleclichen darczu verbodt mit andern fursten herren und steden des heiligen richs, und han gewartet von tage zu tage ob der vorgeschriben her Wenczelaw icht kommen wolde diße vorgeschriben gebresten abezuleghen und daz heilige riche nůczlicher zu bestellen. und ist er doch umbe alles diß nit zu uns kommen, und hait auch nymande von synen wegen eyniche sache uns furzulegen zu uns gesand. und sint wir yn umbe diße vorgeschriben klegeliche und schedeliche gebresten dicke und vil alleyne und heymelich in gůtlichkeit, und, alles daz nit gehulffen hait, vor fursten herren und steden des heiligen richs in mancher samenůnge dy wir darumbe swerlich und kost-

lich gehabt han, ernstlich ersucht und gestraffet han (und als daz auch nit nůcz gewesen ist, so han wir daz furbaßer von yme an den heiligen stul von Rome bracht als vor geschriben stehet), und er diß alles nit geachtet hait: so konnen und mogen wir nit anders darinne gemerken und gepruben, dan daz er der heiligen kirchen und cristenheit und besundern des heiligen richs keyne achte und sorge me oder fůrbaßer haben wolle. und wann auch diß sunder verderplichen schaden der ganczen christenheit nit lenger zu herten noch zu lyden ist, so sin wir mit wolbedachtem můde, ubermicz vil und manchirley handelunge und raid dy wir darumbe under uns und mit vil andern fursten und herren des heiligen richs ernstlichen gehabt han, der heiligen kirchen zu hulffe der cristenheit zu troste und deme heiligen riche zu eren und nůcze genczliche uberkommen, daz wir den vorgeschriben hern Wenczelaw als eynen vorsumer entgleder und unwirdigen des heiligen richs von demselben heiligen Romischen riche und alle der wirde darczu gehorig zu dißer zijt wollen genczlichen und zumale abethůn und abeseczen. und wir Johann erczbischoff vorgenant, gots namen zu dem ersten angeruffen, in gerichtes stad geseßen, in namen und wegen unsere vorgeschriben herren und middekorfursten des heiligen Romischen richs und auch unser selbes, umbe diße egenanten und andere vile großer gebresten und sachen uns darczu bewegende abethůn und abeseczen mit dißem unserme orteil, daz wir thun und geben in dißer schrifft, den vorgenanten hern Wenczelaw als eynen unnůczen versůmelichen unachtbaren entgleder und unwerdigen hanthaber des heiligen Romischen richs von demselben Romischen riche und von alle der wirde eren und herlichkeid darczu gehorende. und verkundigen darumbe allen fursten herren ritteren knechten steden landen und luden des helligen richs, daz sy nů furbaßer ire eyde und hulde, die sy des vorgenanten hern Wenczelaw personen als von des heiligen richs wegen gethan hant, zumal und genczlichen ledig sint, und ermanen und ersuchen sy auch ubermicz die eyde damidde sy deme heiligen riche verbunden sint, daz sy dem egenanten hern Wenczelaw furbaßer als eyme Romischen konige nit me gehorsam noch wartende sin in eyniche wijß nach yme auch eyniche rechte dinste gulde gude oder andere gefelle wy man die genennen mag als eyme Romischen konige geben thůn oder folgen laßen, sůnder daz sy dy behalden vor den der von gnaden gots zu eyme nůczlichern und beqwemelichern Romischen konige gekoren werdet. des zu glauben und orkunde han wir Johann erczbischoff zu Mencze vorgenant diße geinwertige unsere brieve davon thun machen, mit dißen nachgeschriben offen schribern in eyner offen forme beschriben, und unser groß ingesigel hirane thun henken. gelesen und ußgesprochen wart daz vorgeschriben urteil und sententie von uns Johan erczbischoff zu Mencze vorgenant, als von unser und der vorgenanten unser herren der middekorfursten wegen, an dem Ryne bij Obern-Lanstein Trierer

bischtums gein Brubach zu gehende uff eyme stůle daselbs zu eyme richtestule erhaben, als die vorgenanten unser herren die korfursten und wir daselbs zu gerichte saßen, in dem jare nach Cristi geburte dusent und vierhundert jare in der achten indiccien an eyme fritage deme czwenczigisten tage des mandes augusti enwenig vor nůn zijt in deme eylfften jare der bebstlichen gewalt des allerheiligisten in Criste vaters und herren hern Bonifatii von gotlicher versehunge des nůnden babistes, in geinwertikeit der hochgebornen fursten hern Johans des hochgebornen fursten hern Ruprechts herczog zu Beyrn und palczgrave bij Ryn etc. sones, hern Friderichs burggraven zu Nurenberg, der edelen Philippi zu Naßawe und Sarbrucken, Emychis von Lyningen, Johans von Czigenhayn, Conrads ringrefen unser dumherren zu Mencze graven. Reynharts zu Westerburg, Johans von Lympurg, Johans von Isenburg, Reynharts von Hanaw herren, hern Nicolai Prowyn in der heiligen schriffte, Johannis von Wittenburg und Nicolai Burgmann in dem geistlichen rechte, hern Hermans probstes zu sante Georgen zu Colne in dem werntlichen rechte lerern, der vesten rittere Siffrids von Lyndaw unsers viczdůms in dem Ringaw, Johans Boßen von Waldecke unsers burggraven zu Beckelnheim und lieben getruwen, Henrich Rulmans von Dadenberg, Gerharts von Eynenberg herren zu Landeskrone, Friderichs von Saßenhusen, Romlyans von Kobern, Johans von Dalberg, Rudolffs von Czeysickein und andere vil herren rittere knechte lude geistlich und werntlich in großer und merglicher zall, zu geczůgen zu den vorgeschriben dingen geheischen und gebeden.

II.

Reich und Kirche.

15. Ordnung der römischen Verhältnisse, speciell der Pabstwahl durch Lothar I als Mitregenten Ludwigs des Frommen 824*).

Abgedruckt aus Mon. germ. hist. (Quartserie) Capitularia regum Franc. Bd. I (1883) S. 323 f. — Vgl. Böhmer-Mühlbacher, die Regesten des Kaiserreichs unter den Karolingern I S. 376 Nr. 988; H. Dopffel, Kaisertum und Papstwechsel unter den Karolingern (1889) S. 77 ff., 165 f.

a) Konstitution Lothars I.

Constitutum habemus:

1. Ut omnes qui sub speciali defensione domni apostolici seu nostra fuerint suscepti impetrata inviolabiliter iusta utantur defensione; quod si quis in quocumque hoc contemptive violare praesumpserit, sciat se periculum vitae suae esse incursurum. Nam et hoc decernimus, ut domno apostolico in omnibus ipsi iustam observent oboedientiam seu ducibus ac iudicibus suis ad iustitiam faciendam. In hoc capitulo fiat commemoratum de viduis et orfanis Theodori, Floronis et Sergii.

2. Ut depraedationes quae hactenus fieri solebant prohibemus, ne fiant neque vivente pontifice neque defuncto; si quis vero ulterius hoc fecerit, sciat se legali sententia esse condemnandum. Quae autem retro actae sunt, placet nobis, ut per dispositionem nostram fiant legaliter emendatae.

3. Volumus ut in electione pontificis nullus praesumat venire neque liber neque servus, qui aliquod impedimentum faciat, illis solummodo Romanis, quibus antiquitus fuit consuetudo concessa per constitutionem sanctorum patrum eligendi pontificem. Quod si quis contra hanc iussionem nostram facere praesumpserit, exilio tradatur.

4. Volumus ut missi constituantur de parte domni apostolici et nostra, qui annuatim nobis renuntiare valeant, qualiter singuli duces et iudices iustitiam faciant populo et quomodo nostram constitutionem observent. Qui missi decernimus ut primum cunctos clamores qui per neglegentiam ducum aut iudicum fuerint inventi ad notitiam domni apostolici deferant, et ipse unum e duobus eli-

---

*) Ueber die vorhergehenden Pacta der Karolinger mit den Päbsten vgl. die Vorbemerkungen zur folgenden Nr. 16.

gat: aut statim per eosdem missos fiant ipsae necessitates emendatae, aut si non, per nostrum missum fiat nobis notum, ut per nostros missos a nobis directos iterum emendentur.

5. Volumus ut cunctus populus Romanus interrogetur, qua lege vult vivere, ut tali qua se professi fuerint vivere velle vivant; illisque denuntietur, quod hoc unusquisque sciat, tam duces quam et iudices vel reliquus populus, quod si in offensione sua contra eandem legem fecerint, eidem legi quam profitentur per dispositionem pontificis ac nostram subiacebunt.

6. De rebus ecclesiarum iniuste invasis sub occasione quasi licentia accepta a pontifice, et de his quae necdum redditae sunt et tamen fuerunt iniuste a potestate pontificum invasae, volumus ut per missos nostros fiat emendatum.

7. Prohibemus ut depraedationes inter confinia nostra ultra non fiant, et quae factae sunt, secundum legem de utrisque partibus ordinemus ut emendentur. Similiter volumus, ut ceterae iniustitiae de utrisque partibus fiant emendatae.

8. Placuit nobis ut cuncti iudices sive hi qui cunctis praeesse debent, per quos iudicaria potestas in hac urbe Roma agi debet, in praesentia nostra veniant; volentes numerum et nomina eorum scire et singulos de ministerio sibi credito admonitionem facere.

9. Novissime admoneatur, ut omnis homo, sicut gratiam Dei et nostram habere desiderat, ita praestet in omnibus oboedientiam atque reverentiam huic pontifici.

b) Eid der Römer.

Promitto ego ille per Deum omnipotentem et per ista sacra quattuor euangelia et per hanc crucem domini nostri Iesu Christi et per corpus beatissimi Petri principis apostolorum, quod ad hac die in futurum fidelis ero dominis nostris imperatoribus Hludowico et Hlothario diebus vitae meae iuxta vires et intellectum meum sine fraude atque malo ingenio, salva fide quam repromisi domino apostolico; et quod non consentiam, ut aliter in hac sede Romana fiat electio pontificis nisi canonice et iuste, secundum vires et intellectum meum; et ille, qui electus fuerit, me consentiente consecratus pontifex non fiat, priusquam tale sacramentum faciat in praesentia missi domini imperatoris et populi cum iuramento, quale dominus Eugenius papa sponte pro conservatione omnium factum habet per scriptum.

16. Pactum Ottos des Grossen mit Pabst Johann XII. 962 Februar 13.

Abgedruckt aus Mon. Germ. hist. (Quartserie) Diplomata Bd. I (1884) S. 322—327. — Vgl. Th. von Sickel, Das Privilegium Otto I für die römische Kirche vom Jahre 962 (1883); J. von Pflugk-Harttung, Das Privilegium Ottos I für die römische Kirche in: Forschungen zur deutschen Gesch. Bd. XXIV (1884) S. 567—581; die territorialen Bestimmungen erläutert J. Ficker, Forschungen zur Reichs- und Rechtsgesch. Italiens Bd. II (1869) S. 299 ff., 362 ff.

Die vorhergehenden Pacta der Kaiser mit den Päbsten (von denen uns nur das Pactum Ludwigs des Frommen vom Jahre 817 erhalten ist, gedruckt u. a. bei Sickel l. c. S. 173 ff.) analysirt K. Lamprecht, Die römische Frage von König Pippin bis auf Kaiser Ludwig den Frommen in ihren urkundlichen Kernpunkten erläutert (1889); das nachfolgende Pactum Heinrichs II vom Jahre 1020 (gedruckt u. a. Mon. Germ. LL. II, 2 S. 173 ff.) erläutert Ficker l. c. S. 365 f., Hirsch-Bresslau, Jahrbücher des deutschen Reichs unter Heinrich II Bd. III (1875) S. 168 f.

In nomine domini dei omnipotentis patris et filii et spiritus sancti. Ego Otto dei gratia imperator augustus una cum Ottone glorioso rege filio nostro divina ordinante providentia spondemus atque promittimus per hoc pactum confirmationis nostrae tibi beato Petro principi apostolorum et clavigero regni caelorum et per te vicario tuo domno Iohanni summo pontifici et universali XII. pape, sicut a predecessoribus vestris usque nunc in vestra potestate atque dicione tenuistis et disposuistis: civitatem Romanam cum ducatu suo et suburbanis suis atque viculis omnibus et territoriis eius montanis ac maritimis, litoribus ac portubus, seu cunctis civitatibus castellis oppidis ac viculis Tusciae partibus, id est Portum, Centumcellas, Cerem, Bledam, Marturianum, Sutriam, Nepem, castellum Gallisem, Ortem, Polimartium, Ameriam, Tudam, Perusiam cum tribus insulis suis, id est maiore et minore, Puluensim, Narniam et Utriculum cum omnibus finibus ac territoriis ad suprascriptas civitates pertinentibus. Nec non exarchatum Rauernatem sub integritate cum urbibus civitatibus oppidis et castellis, quae piae recordationis domnus Pippinus et domnus Karlus excellentissimi imperatores, predecessores videlicet nostri, beato Petro apostolo et predecessoribus vestris iam dudum per donationis paginam contulerunt, hoc est civitatem Rauennam et Emeliam: Bobium, Cesenam, Forumpopuli, Forumliui, Fauentiam, Immolam, Bononiam, Ferrariam, Comiiaclum et Adrianis atque Gabellum cum omnibus finibus territoriis atque insulis terra marique ad supradictas civitates pertinentibus. Simul et Pentapolim, videlicet Ariminum, Pensaurum, Phanum, Senogalliam, Anconam, Ausimum, Humanam, Hesim, Forumsimpronii, Montemfeltri, Urbanum et territorium Balnense, Callis, Luciolis et Eugubium cum omnibus finibus ac territoriis ad easdem civitates pertinentibus. Eodem modo territorium Sabinense sicut a domno Karlo imperatore antecessore nostro beato Petro apostolo per donationis scriptum concessum est sub integritate. Item in partibus

Tusciae Longobardorum castellum Felicitatis, Urbem ueterem, Balneum regis, Ferenti, Uiterbum, Orchem, Marcam, Tuscanam, Suanam, Popolonium, Roselles cum suburbanis atque viculis omnibus et territoriis ac maritimis, oppidis ac viculis seu finibus omnibus. Itemque a Lunis cum insula Corsica, deinde in Suriano, deinde in monte Bardonis, deinde in Berceto, exinde in Parma, deinde in Regia, exinde in Mantua atque in monte Silicis atque provincia Uenetiarum et Istria nec non et cunctum ducatum Spolitanum seu Beneuentanum una cum aecclesia sanctae Cristinae posita prope Papiam iuxta Padum quarto miliario. Item in partibus Campaniae Soram, Arces, Aquinum, Arbinum, Teanum et Capuam. Nec non et patrimonia ad potestatem et ditionem vestram pertinentia, sicut est patrimonium Beneuentanum et patrimonium Neapolitanum atque patrimonia Calabriae superioris et inferioris — de civitate autem Neapolitana cum castellis et territoriis ac finibus et insulis suis sibi pertinentibus, sicuti ad easdem aspicere videntur — nec non patrimonium Siciliae, si deus nostris illud tradiderit manibus. Simili modo civitatem Gaietam et Fundim cum omnibus earum pertinentiis.

Insuper offerimus tibi beate Petre apostole vicarioque tuo domno Iohanni papae et successoribus eius pro nostrae animae remedio nostrique filii et nostrorum parentum de proprio nostro regno civitates et oppida cum piscariis suis, id est Reatem, Amiternum, Furconem, Nursiam, Baluam et Marsim et alibi civitatem Teramnem cum pertinentiis suis.

Has omnes suprascriptas provintias urbes et civitates oppida atque castella viculos ac territoria simulque et patrimonia pro remedio animae nostrae et filii nostri sive parentum nostrorum ac successorum nostrorum et pro cuncto a deo conservato atque conservando Francorum populo iam dictae aecclesiae tuae beate Petre apostole et per te vicario tuo spiritali patri nostro domno Iohanni summo pontifici et universali papae eiusque successoribus usque in finem seculi eo modo confirmamus, ut in suo detineant iure principatu atque dicione.

Simili modo per hoc nostrae delegationis pactum confirmamus donationes, quas piae recordationis domnus Pippinus rex et postea domnus Karlus excellentissimus imperator beato Petro apostolo spontanea voluntate contulerunt, nec non et censum vel pensionem seu ceteras dationes, quae annuatim in palacium regis Longobardorum inferri solebant sive de Tuscia sive de ducatu Spoletano, sicut in suprascriptis donationibus continetur et inter sanctae memoriae Adrianum papam et domnum Karlum imperatorem convenit, quando idem pontifex eidem de suprascriptis ducatibus, id est Tuscano et Spolitano, suae auctoritatis preceptum confirmavit, eo scilicet modo ut annis singulis predictus census ad partem aecclesiae beati Petri apostoli persolvatur, salva super eosdem ducatus nostra in omnibus dominatione et illorum ad nostram partem et filii nostri subiectione.

Ceterum sicut diximus omnia superius nominata ita ad vestram partem per hoc nostrae confirmationis pactum roboramus, ut in vestro permaneant iure principatu atque ditione et neque a nobis neque a successoribus nostris per quodlibet argumentum sive machinationem in quacumque parte vestra potestas imminuatur aut a vobis inde aliquid subtrahatur de suprascriptis videlicet provintiis urbibus civitatibus oppidis castris viculis insulis territoriis atque patrimoniis nec non et pensionibus atque censibus, ita ut neque nos ea facturi simus neque quibuslibet ea facere volentibus consenciamus, sed potius omnia quae superius leguntur, id est provintie civitates urbes oppida castella territoria et patrimonia atque insulas censusque et pensiones ad partem aecclesiae beati Petri apostoli atque pontificum in sacratissima sede illius residentium nos in quantum possumus defensores esse testamur, ad hoc ut ea in illius ditione ad utendum et fruendum atque disponendum firmiter valeant optineri.

Salva in omnibus potestate nostra et filii nostri posterorumque nostrorum, secundum quod in pacto et constitutione ac promissionis firmitate Eugenii pontificis successorumque illius continetur, id est ut omnis clerus et universi populi Romani nobilitas propter diversas necessitates et pontificum inrationabiles erga populum sibi subiectum asperitates retundendas sacramento se obliget, quatinus futura pontificum electio quantum uniuscuiusque intellectus fuerit canonice et iuste fiat, et ut ille qui ad hoc sanctum atque apostolicum regimen eligitur, nemine consentiente consecratus fiat pontifex, priusquam talem in presentia missorum nostrorum vel filii nostri seu universae generalitatis faciat promissionem pro omnium satisfactione atque futura conservatione, qualem domnus et venerandus spiritalis pater noster Leo sponte fecisse dinoscitur.

Preterea alia minora huic operi inserenda previdimus: videlicet ut in electione pontificum neque liber neque servus ad hoc venire praesumat, ut illis Romanis, quos ad hanc electionem per constitutionem sanctorum patrum antiqua admisit consuetudo, aliquod faciat impedimentum; quod si quis contra hanc nostram institutionem ire presumpserit, exilio tradatur. Insuper eciam ut nullus missorum nostrorum cuiuscumque impeditionis argumentum componere in prefatam electionem audeat prohibemus. Nam et hoc omnimodis instituere placuit, ut qui semel sub speciali defensione domni apostolici sive nostra fuerint suscepti impetrata iuste utantur defensione; quod si quis in quemquam illorum qui hoc promeruerint violare presumpserit, sciat se periculum vitae suae esse incursurum. Illud etiam confirmamus, ut domno apostolico iustam in omnibus servent oboedientiam seu ducibus ac iudicibus suis ad iusticiam faciendam Huic enim institucioni hoc necessario adnectendum esse perspeximus, ut missi domni apostolici seu nostri semper sint constituti, qui annuatim nobis vel filio nostro renunciare valeant, qualiter singuli

duces ac iudices populo iusticiam faciant, hanc imperialem constitutionem quomodo observent; qui missi decernimus ut primum cunctos clamores qui per neglegentiam ducum seu iudicum fuerint inventi ad notitiam domni apostolici deferant, et ipse unum e duobus eligat: aut statim per eosdem missos fiant ipse necessitates emendate aut, misso nostro nobis renunciante, per nostros missos a nobis directos emendentur.

Hoc ut ab omnibus fidelibus sanctae dei aecclesiae et nostris firmum esse credatur, propriae manus signaculo et nobilium optimatum nostrorum subscriptionibus hoc pactum confirmationis nostrae roboravimus et bullae nostrae inpressioni adsignari iussimus.

(†) Signum domni Ottonis serenissimi imperatoris ac suorum episcoporum abbatum et comitum.

(†) Signum Adaldagi Hamaburgiensis aecclesiae archiepiscopi. Signum Hartberti Curiensis aecclesiae episcopi. Signum Druogonis Osnabruguensis aecclesiae episcopi. Signum Votonis Argentenensis aecclesiae episcopi. Signum Otuuini Hiltinesemensis aecclesiae episcopi. Signum Landuuarti Mindonensis aecclesiae episcopi. Signum Otgeri Nemetinensis aecclesiae episcopi. Signum Gezonis Tortunensis aecclesiae episcopi. Signum Hucberti Parmanensis aecclesiae episcopi. Signum Vuidonis Mutunensis aecclesiae episcopi. Signum Hattonis Fuldensis monasterii abbatis. Signum Guntharii Herolfesfeldensis monasterii abbatis. Signum Eberharti comitis. Signum Guntharii comitis. Signum Burgharti comitis. Signum Vtonis comitis. Signum Cvonrates comitis. Signum Ernustes. Signum Thieteres, Ricdages, Liupen, Hartuuiges, Arnolues, Ingilthies, Burchartes, Retinges.

Anno dominice incarnationis DCCCCLXII, indictione V, mense ieb., XIII. die eiusdem mensis, anno vero domni Ottonis imperii nvictissimi imperatoris XXVII facta est haec pactio feliciter.

17. Pabstwahldekret des Laterankonzils unter Nikolaus II. 1059 April.

Abgedruckt aus P. Scheffer-Boichorst, Die Neuordnung der Pabstwahl durch Nikolaus II (1879) S. 14—18 mit Aufnahme einiger dort angegebenen Varianten und Besserungen in den Text (in Kursive). — Vgl. P. Scheffer-Boichorst l. c.; (Jahrbücher der deutschen Geschichte:) G. Meyer von Knonau, Jahrbücher des deutschen Reiches unter Heinrich IV und Heinrich V Bd. I (1890) S. 678 f., 135 ff.

In nomini domini dei salvatoris nostri Jesu Christi anno ab incarnatione eius 1059 mense aprili indictione 12. propositis sacrosanctis evangeliis, praesidente quoque reverendissimo ac beatissimo Nicolao apostolico papa, in basilica Lateranensi*s* patriarchi*i*, quae cognominatur Constantiniana, considentibus etiam reverendissimis archiepiscopis, episcopis, abbatibus seu venerabilibus

presbyteris atque diaconibus, idem venerabilis pontifex auctoritate apostolica decernens de electione summi pontificis inquit:

Novit beatitudo vestra, dilectissimi fratres et coepiscopi, inferiora quoque membra non latuit, defuncto piae memoriae domino Stephano decessore nostro, haec apostolica sedes, cui auctore deo deservio, quot adversa pertulerit, quot denique per simoniacae haeresis trapezitas malleis crebrisque tunsionibus subiacuerit, adeo ut columna dei viventis iamiam paene videretur *concussa* nutare et sagena summi piscatoris procellis intumescentibus cogeretur in naufragii profunda submergi. Unde, si placet fraternitati vestrae, debemus auxiliante deo futuris casibus prudenter occurrere et ecclesiastico statui, ne rediviva — quod absit! — mala praevaleant, in posterum praevidere. Quapropter instructi praedecessorum nostrorum aliorumque sanctorum patrum auctoritate decernimus atque statuimus:

Ut obeunte huius Romanae universalis ecclesiae pontifice inprimis cardinales episcopi diligentissima simul consideratione tractantes mox sibi clericos cardinales adhibeant sicque reliquus clerus et populus ad consensum novae electionis accedant, ut — nimirum ne venalitatis morbus qualibet occasione *subrepat* — religiosi viri praeduces sint in promovendi pontificis electione, reliqui autem sequaces.

Et certe rectus atque legitimus hic electionis ordo perpenditur, si perspectis diversorum patrum regulis sive gestis etiam illa beati praedecessoris Leonis sententia recolatur: „Nulla," inquit, „ratio sinit, ut inter episcopos habeantur, qui nec a clericis sunt electi nec a plebibus expetiti nec a comprovincialibus episcopis cum metropolitani iudicio consecrati." Quia vero sedes apostolica cunctis in orbe terrarum praefertur ecclesiis atque ideo super se metropolitanum habere non potest, cardinales episcopi procul dubio metropolitani vice funguntur, qui videlicet electum antistitem ad apostolici culminis apicem provehunt.

Eligant autem de ipsius ecclesiae gremio, si reperitur idoneus, vel si de ipsa non invenitur, ex alia assumatur.

Salvo debito honore et reverentia dilecti filii nostri Henrici, qui inpraesentiarum rex habetur et futurus imperator deo concedente speratur, sicut iam sibi concessimus, et successor*um* illius, qui ab hac apostolica sede personaliter hoc ius impetraverint.

Quodsi pravorum atque iniquorum hominum ita perversitas invaluerit, ut pura, sincera atque gratuita electio fieri in Urbe non possit, cardinales episcopi cum religiosis clericis catholicisque laicis, licet paucis, ius potestatis obtineant eligere apostolicae sedis pontificem, ubi congruentius iudicaverint.

Plane postquam electio fuerit facta, si bellica tempestas vel qualiscunque hominum conatus malignitatis studio restiterit, ut is qui electus est in apostolica sede iuxta consuetudinem intronizari non valeat, electus tamen sicut papa auctoritatem obtineat regendi

sanctam Romanam ecclesiam et disponendi omnes facultates illius, quod beatum Gregorium ante consecrationem suam fecisse cognoscimus.

Quodsi quis contra hoc nostrum decretum synodali sententia promulgatum per seditionem vel praesumptionem aut quodlibet, ingenium electus aut etiam ordinatus seu intronizatus fuerit, *non papa sed sathanas, non apostolicus sed apostaticus ab omnibus habeatur et teneatur*; auctoritate divina et sanctorum apostolorum Petri et Pauli perpetuo anathemate cum suis auctoribus, fautoribus, sequacibus a liminibus sanctae dei ecclesiae separatus *ab*iiciatur sicut Antichristus et invasor atque destructor totius christianitatis; nec aliqua super hoc audientia aliquando ei reservetur, sed ab omni ecclesiastico gradu, in quocunque prius fuerat, sine retractatione deponatur. Cui quisquis adhaeserit vel qualemcunque tanquam pontifici reverentiam exhibuerit aut in aliquo illum defendere praesumpserit, pari sententia sit mancipatus.

Quisquis autem huius nostrae decretalis sententiae temerator extiterit et Romanam ecclesiam sua praesumptione confundere et perturbare contra hoc statutum tentaverit, perpetuo anathemate atque excommunicatione damnetur et cum impiis, qui non resurgent in iudicio, reputetur. Omnipotentis scilicet dei patris et filii et spiritus sancti contra se iram sentiat et sanctorum apostolorum Petri et Pauli, quorum praesumit confundere ecclesiam, in hac vita et in futura furorem reperiat. Fiat habitatio eius deserta, et in tabernaculis eius non sit qui inhabitet. Fiant filii eius orphani et uxor eius vidua. Commotus amoveatur ipse atque filii eius et mendicent et eiiciantur de habitationibus suis. Scrutetur foenerator omnem substantiam eius et diripiant alieni labores eius. Orbis terrarum pugnet contra eum et cuncta elementa sint ei contraria et omnium sanctorum quiescentium merita illum confundant et in hac vita super eum apertam vindictam ostendant. Observatores autem huius nostri decreti dei omnipotentis gratia protegat et auctoritate beatorum apostolorum Petri et Pauli ab omnium peccatorum vinculis absolvat.

Ego Nicolaus episcopus sanctae catholicae et apostolicae Romanae ecclesiae huic decreto a nobis promulgato, sicut superius legitur, subscripsi. Bonifacius dei gratia Albanensis episcopus subscripsi. Humbertus sanctae ecclesiae Silvae Candidae episcopus subscripsi. Petrus Ostiensis ecclesiae episcopus subscripsi. Et caeteri episcopi numero LXXVI cum presbyteris et diaconibus subscripserunt.

18. Das Wormser Konkordat zwischen Heinrich V und Pabst Calixt II. 1122 Sept. 23.

Abgedruckt a) aus der photographischen Wiedergabe des Originals in: Mitteilungen des Instituts für österreichische Geschichtsforschung Bd. VI (1885) als Beilage zu der Abhandlung von H. Bresslau, Die kaiserliche Ausfertigung des Wormser Concordats ibid. S. 105 ff., b) aus E. Bernheim, Zur Geschichte des Wormser Concordates (1878) S. 86, wo die in eckige Klammern eingeschlossenen Worte als mutmassliche spätere Einschiebungen bezeichnet sind. — Vgl. ausser den eben und unter Nr. 19 angeführten Schriften E. Bernheim, Investitur und Bischofswahl im 11. und 12. Jahrhundert in: Zeitschrift für Kirchengeschichte Band VII (1885) S. 303 bis 333, besonders S. 322 ff über die staatsrechtliche Geltung des Konkordats.

a) Die kaiserliche Urkunde.

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Ego Heinricus Dei gratia Romanorum imperator augustus pro amore dei et sanctae Romanae ecclesiae et domini papae Calixti et pro remedio animae meae dimitto deo et sanctis dei apostolis Petro et Paulo sanctaeque catholicae ecclesiae omnem investituram per anulum et baculum, et concedo in omnibus ecclesiis, quae in regno vel imperio meo sunt, canonicam fieri electionem et liberam consecrationem.

Possessiones et regalia beati Petri, quae a principio huius discordiae usque ad hodiernam diem sive tempore patris mei sive etiam meo ablata sunt, quae habeo eidem sanctae Romanae ecclesiae restituo, quae autem non habeo ut restituantur fideliter iuvabo. Possessiones etiam aliarum omnium ecclesiarum et principum et aliorum tam clericorum quam laicorum, quae in werra ista amissae sunt, consilio principum vel iusticia quae habeo reddam, quae non habeo ut reddantur fideliter iuvabo.

Et do veram pacem domino papae Calixto sanctaeque Romanae ecclesiae et omnibus, qui in parte ipsius sunt vel fuerunt; et in quibus sancta Romana ecclesia auxilium postulaverit, fideliter iuvabo, et de quibus mihi fecerit querimoniam, debitam sibi faciam iusticiam.

Haec omnia acta sunt consensu et consilio principum, quorum nomina subscripta sunt: Adelbertus archiepiscopus Mogontinus, F. coloniensis archiepiscopus, H. ratisbonensis episcopus, O. bavenbergensis episcopus, B. spirensis episcopus, H. augustensis, G. traiectensis, Ou. constanciensis, E. abbas vuldensis, Heinricus dux, Fridericus dux, S. dux, Pertolfus dux, marchio Teipoldus, marchio Engelbertus, Godefridus Palatinus, Otto Palatinus comes, Beringarius comes.

† Ego Fridericus coloniensis archiepiscopus et archicancellarius recognovi.

b) Die päbstliche Urkunde.

Ego Calixtus episcopus servus servorum Dei tibi dilecto filio Heinrico Dei gratia Romanorum imperatori augusto concedo electiones episcoporum et abbatum Teutonici regni, qui ad regnum

pertinent, in presentia tua fieri absque symonia et aliqua violentia; ut si qua inter partes discordia emerserit, metropolitani et comprovincialium consilio vel iudicio saniori parti assensum et auxilium prebeas. Electus autem regalia [absque omni exactione] per sceptrum a te recipiat et que ex his iure tibi debet faciat.

Ex aliis vero partibus imperii consecratus infra sex menses regalia [absque omni exactione] per sceptrum a te recipiat et que ex his iure tibi debet faciat. Exceptis omnibus que ad Romanam ecclesiam pertinere noscuntur.

De quibus vero mihi querimoniam feceris et auxilium postulaveris, secundum officii mei debitum auxilium tibi prestabo. Do tibi veram pacem et omnibus qui in parte tua sunt vel fuerunt tempore huius discordiae.

19. Privileg Pabst Innocenz' II für Lothar III. Rom 1133 Juni 8.

Abgedruckt aus Bibliotheca rerum Germ. ed. Ph. Jaffé Bd. V = Monum. Bambergensia (1869) S. 522 f. — Vgl (Jahrbücher der deutschen Geschichte): W. Bernhardi, Lothar von Supplinburg (1879) S. 478—481; P. Ulich, Die deutsche Kirche unter Lothar von Sachsen (Diss. Leipzig 1885); Chr. Volkmar, Das Verhältnis Lothars III zur Investiturfrage in: Forschungen zur deutschen Gesch. Bd. XXVI (1886) S. 483 ff.

.... m*ultipl*iciter ecclesiam filiali affectione diligere et eam a pravorum hominum infestatione m .... *ad* apostolicae sedis sollicitudinem spectare cognoscitur, ut ad exaltationem regni et decorem imperii diligenter invig*ilare* .... in .... *r*obore cooperante Domino satagat custodire. Ceterum personae tuae probabilis in fide catholica firmitas et perseverans in *Dei* amore constancia sanctam ecclesiam Romanam eo magis sibi fecit obnoxiam, quo te ferventius a longis retro temporibus operibus pietatis insist*entem* tantum laborem pro scismaticorum contritione et liberatione fidelium evidentibus indiciis assumpsisse conspicimus.

Hac itaque ratione inducti *et ex* sublimatione tua fructum maximum sperantes catholicae ecclesiae et christiano populo proventurum, cognita fratrum nostrorum episcoporum et cardinalium *atque* nobilium Romanorum prompta voluntate atque consilio, te, christianissimum principem et inter speciales beati Petri filios unicum ac praecipuum def*ensorem* ad imperii fastigia invocata Spiritus sancti gratia sublimavimus.

Nos igitur, maiestatem imperii nolentes minuere sed augere, imperatoriae dignitati*s plenitu*dinem tibi concedimus et debitas et canonicas consuetudines praesentis scripti pagina confirmamus.

Interdicimus autem, ne quisquam eorum, quos in Teut*onico* regno ad pontificatus honorem vel abbatiae regimen evocari con-

tigerit, regalia usurpare vel invadere audeat, nisi eadem prius a tua *potestate* deposcat, quod [wohl zu korr. atque] ex his, quae iure debet tibi, tuae magnificentiae faciat. Data Laterani 6. idus iunii.

20. Manifest Friedrichs I gegen die auf dem Reichstag zu Besançon 1157 seitens der päbstlichen Gesandten behauptete Abhängigkeit des Kaisertums von päbstlicher Verleihung.

Abgedruckt aus Ottonis et Rahewini Gesta Friderici I imp. ed. Waitz (1884) lib. III cap. 11. — Vgl. W. von Giesebrecht, Geschichte der deutschen Kaiserzeit Band V, 1 (1880) S. 124 f.; Zusammenstellung fernerer Materialien zur Kirchenpolitik Friedrichs I bei M. Doeberl, Monumenta Germaniae selecta Bändchen IV (1890).

Cum divina potentia, a qua omnis potestas in caelo et in terra, nobis christo eius regnum et imperium regendum commiserit et pacem aecclesiarum imperialibus armis conservandam ordinaverit, non sine maximo dolore cordis conqueri cogimur dilectioni vestrae, quod a capite sanctae aecclesiae, cui Christus pacis ac dilectionis suae caracterem impressit, causae dissensionum, seminarium malorum, pestiferi morbi venenum manare videntur; de quibus, nisi Deus avertat, totum corpus aecclesiae commaculari, unitatem scindi, inter regnum et sacerdotium scisma fieri pertimescimus. Cum enim nuper in curia Bisuncii essemus et de honore imperii et salute aecclesiarum debita sollicitudine tractaremus, venerunt legati apostolici asserentes se talem legationem nostrae afferre maiestati, unde honor imperii non parvum accipere deberet incrementum. Quos cum prima die adventus sui honorifice suscepissemus et secunda, ut mos est, ad audiendam legationem eorum cum principibus nostris consedissemus, ipsi quasi de mammona iniquitatis inflati de altitudine superbiae, de fastu arrogantiae, de execrabili tumidi cordis elatione legationem apostolicis litteris conscriptam nobis presentaverunt, quarum tenor talis erat, quod pre oculis mentis semper deberemus habere, qualiter domnus papa insigne imperialis coronae nobis contulerit neque tamen penitentia moveretur, si maiora excellentia nostra ab eo beneficia suscepisset. Haec erat illa paternae dulcedinis legatio, quae unitatem aecclesiae et imperii confovere debuit, quae vinculo pacis utrumque colligare studuit, quae ad utriusque concordiam et obedientiam animos audientium allexit. Certe ad vocem illam nefandam et omni veritate vacuam non solum imperialis maiestas debitam indignationem concepit, verum omnes principes qui aderant tanto furore et ira sunt repleti, quod sine dubio illos duos iniquos presbiteros mortis sententia dampnassent, nisi hoc nostra intercepisset presentia. Porro quia multa paria litterarum apud eos reperta sunt et scedulae sigillatae ad arbitrium

eorum adhuc scribendae, quibus, sicut actenus consuetudinis eorum fuit, per singulas aecclesias Teutonici regni conceptum iniquitatis suae virus respergere, altaria denudare, vasa domus Dei asportare, cruces excoriare nitebantur, ne ultra procedendi facultas eis daretur, eadem qua venerant via ad Urbem eos redire fecimus. Cumque per electionem principum a solo Deo regnum et imperium nostrum sit, qui in passione Christi filii sui duobus gladiis necessariis regendum orbem subiecit, cumque Petrus apostolus hac doctrina mundum informaverit: 'Deum timete, regem honorificate', quicumque nos imperialem coronam pro beneficio a domno papa suscepisse dixerit, divinae institutioni et doctrinae Petri contrarius est et mendacii reus erit. Quia vero actenus honorem ac libertatem aecclesiarum, quae iam diu indebitae servitutis iugo depressa est, a manu Egyptiorum studuimus eripere et omnia eis dignitatum suarum iura conservare intendimus, universitatem vestram super tanta ignominia nobis et imperio condolere rogamus, sperantes, ne honorem imperii, qui a constitutione Urbis et christianae religionis institutione ad vestra usque tempora gloriosus et imminutus extitit, fidei vestrae indivisa sinceritas tam inaudita novitate, tam presumptuosa elatione imminui paciatur, sciens omni ambiguitate remota, quod mortis periculum ante vellemus incurrere quam nostris temporibus tantae confusionis obprobrium sustinere.

21. Der Friede zu Venedig zwischen Friedrich I und Pabst Alexander III. 1177.

Abgedruckt aus P. Kehr, Der Vertrag von Anagni in: Neues Archiv der Gesellschaft für ältere deutsche Geschichtskunde Bd. XIII (1888) S. 114 bis 118. — Vgl. M. Doeberl, Monum. Germ. selecta Bändchen IV (1890) S. 233 f. die Note und weiterhin; W. von Giesebrecht, Gesch. der deutschen Kaiserzeit Band V, 2 (1888) S. 844 ff.

1. Dominus imperator F(ridericus) sicut dominum papam A(lexandrum) in catholicum et universalem papam recepit, ita ei debitam reverentiam exhibebit, sicut catholici sui antecessores suis catholicis antecessoribus exhibuerunt. Successoribus quoque suis catholice intrantibus eandem reverentiam exhibebit.

2. Et reddet dominus imperator veram pacem tam domino pape Alexandro quam omnibus successoribus suis et toti Romane ecclesie.

3. Omnem vero possessionem et tenementum sive prefecture sive alterius rei, quam Romana ecclesia habuit et ipse abstulit per se vel per alios, bona fide restituet ei salvo omni iure imperii. Ecclesia quoque Romana omnem possessionem et tenementum, quod ei abstulit per se vel per alios, bona fide ei restituet salvo omni iure Romane ecclesie.

4. Possessiones etiam, quas dominus imperator restituet, ad retinendum iuvabit.

5. Similiter et universos vasallos ecclesie, quos occasione scismatis dominus imperator abstulit vel recepit, dominus imperator absolvet et domino pape A(lexandro) restituet et ecclesie Romane.

6. Preterea dominus imperator et dominus papa ad honorem et iura ecclesie et imperii conservanda se vicissim iuvabunt, dominus papa ut benignus pater devotum et carissimum filium et imperatorem christianissimum, dominus vero imperator ut devotus filius et christianissimus imperator dilectum et reverendum patrem et beati Petri vicarium.

7. Quecumque autem tempore scismatis vel occasione ipsius aut sine ordine iuditiario ecclesiis a domino imperatore vel suis sunt ablata, ei restituentur.

8. Domina etiam B(eatrix) imperatrix recipiet dominum papam A(lexandrum) in catholicum et universalem papam. Dominus quoque Henricus rex filius eorum similiter eum recipiet et ei et catholicis successoribus suis debitam reverentiam exhibebit et iuramentum, quod dominus imperator exhibuerit, similiter et ipse prestabit.

9. Pacem autem veram reddit dominus imperator et dominus Henricus rex filius eius illustri regi Sicilie usque ad XV annos, sicut per mediatores pacis est ordinatum et scriptum.

10. Constantinopolitano etiam imperatori et universis adiutoribus ecclesie Romane pacem veram reddit et nullum malum meritum reddet eis per se vel per suos pro servitio collato ecclesie Romane.

11. De querelis autem et controversiis, que ante tempora domini Adriani inter ecclesiam et imperium vertebantur, mediatores ex parte domini pape et domini imperatoris constituentur, quibus comittentur, ut eas iuditio vel concordia terminent. Si vero predicti mediatores non convenerint, iuditio domini pape et domini imperatoris vel eius seu eorum, quos ad id elegerint, finientur.

12. Cristiano autem dicto cancellario Maguntinus archiepiscopatus, Philippo autem Coloniensis archiepiscopatus concedentur et confirmabuntur eis cum omni plenitudine archiepiscopalis dignitatis et offitii. Et primus archiepiscopatus, qui in Theutonico regno vacaverit, domino Corrado auctoritate domini pape et auxilio domini imperatoris assignabitur, qui tamen congruus videatur.

13. Ei autem qui dicitur Calixtus una abbatia dabitur. Illi autem qui dicebantur eius cardinales redibunt ad loca que primo habuerunt, nisi ea sponte vel iuditio dimiserant, et in ordinibus quos ante scisma perceperunt relinquentur.

14. Gero autem nunc dictus Alberstatensis precise deponetur et Ulricus verus Alberstatensis restituetur. Alienationes a Gerone facte et benefitia data similiter et ab omnibus intrusis auctoritate domini pape et domini imperatoris cassabuntur et suis ecclesiis restituentur.

15. De electione Brandeburgensis episcopi, qui ad Bremensem archiepiscopatum electus erat, cognoscetur et, si canonicum fuerit, ad eandem ecclesiam transferetur. Et quecumque a Baldeuuino, qui nunc preest Bremensi ecclesie, alienata vel inbeneficiata sunt, sicut canonicum et iustum fuerit eidem ecclesie restituentur.

16. Item que Salsiburgensi ecclesie tempore scismatis subtracta sunt, ei plenarie restituentur.

17. Universi clerici qui sunt de Ytalia vel aliis regionibus, qui sunt extra Theotonicum regnum, dispositioni et iuditio domini pape A(lexandri) successorumque eius relinquentur. Si vero domino imperatori placuerit rogare pro ordinibus aliquorum quos canonice perceperunt, usque ad X vel XII, si instare voluerit, exaudietur.

18. G(arsidonius) autem Mantuanus ad episcopatum quondam suum restituetur, ita tamen, quod ille, qui nunc est Mantuanus, auctoritate domini pape et auxilio domini imperatoris ad Tridentinum episcopatum transferetur, nisi forte inter dominum papam et dominum imperatorem convenerit, ut in alio ei episcopatu provideatur.

19. Archipresbiter vero de Sacco in archipresbiteratu quondam suo et in aliis benefitiis, que ante scisma habuit, cum omni plenitudine restituetur.

20. Universi etiam ordinati a quondam catholicis vel ab ordinatis eorum in Theutonico regno restituentur in ordinibus taliter perceptis nec occasione huius scismatis gravabuntur.

21. De Argentinensi autem et Basiliensi dictis episcopis, qui ordinati fuerunt a Guidone Cremensi in eodem regno, a predictis mediatoribus committetur X vel octo quos ipsi elegerint, qui prestito iuramento firmabunt, quod illud consilium de ipsis Romano pontifici et domino imperatori dabunt quod viderint se canonice posse dare absque periculo scilicet anime domini pape et domini imperatoris et sue, et dominus papa adquiescet eorum consilio.

22. Dominus autem papa et omnes cardinales sicut receperunt dominum imperatorem F(ridericum) in Romanorum et catholicum imperatorem, ita recipient B(eatricem) felicem uxorem eius in catholicam et Romanorum imperatricem, ita tamen quod ipsa coronetur a domino papa A(lexandro) vel a legato ipsius. Dominum autem Henricum filium eorum in catholicum regem recipient.

23. Pacem etiam veram reddent dominus papa et cardinales domino imperatori F(riderico) et domine imperatrici B(eatrici) et Henrico regi filio eorum et universis adiutoribus ipsorum, salvis que de spiritualibus dispositioni et iuditio domini pape A(lexandri) et Romane ecclesie presenti scripto relinquuntur et salvo omni iure Romane ecclesie adversus detentatores rerum beati Petri et salvis his que prescripta sunt tam pro parte ecclesie quam pro parte domini imperatoris et imperii.

24. Pacem vero predictam promittit dominus papa se observaturum in verbo veritatis et omnes cardinales et privilegium inde faciet cum subscriptione omnium cardinalium. Ipsi etiam cardinales scriptum confirmationis predicte pacis facient cum appositione sigillorum suorum.

25. Et dominus papa statim advocato concilio quale subito advocari poterit cum cardinalibus episcopis aliisque religiosis viris qui interfuerint excommunicationem statuet in omnes qui hanc pacem infringere temptaverint. Deinde in generali concilio idem faciet.

26. Plures etiam de nobilibus Romanis et capitaneis Campanie hanc eandem pacem iuramento firmabunt.

27. Imperator vero predictam pacem ecclesie et iam dictam pacem XV annorum illustris regis Sicilie et treuquam Lombardorum a proximis scilicet kal. augusti usque ad VI annos firmabit iuramento suo et principum et faciet Lombardos qui ex parte sua sunt, sicut in communi scripto treuque dispositum et scriptum est, eamdem treuquam firmari. Si vero aliquis fuerit ex parte imperatoris, qui predictam treuquam iurare recusaverit, imperator precipiet universis qui ex parte sua sunt sub debito fidelitatis et gratie sue, ut nullum prestent ei auxilium et volentibus eum offendere in nullo obsistant vel contradicant, et si quis offenderit, non teneatur inde. Mandatum autem istud non revocabit dominus imperator, donec treuqua durabit. Et dominus Henricus rex filius eius predicta firmabit, sicut scripto dispositum est. Dominus etiam imperator predictam pacem ecclesie et illustris regis Sicilie usque ad XV annos et treuquam Lombardorum corroborabit scripto suo cum subscriptione sua et principum.

28. Si vero, quod absit, dominus papa premoriatur, dominus imperator et dominus Henricus rex filius eius et principes hanc formam pacis et compositionis firmiter observabunt successoribus suis et universis cardinalibus et toti Romane ecclesie et illustri regi Sicilie et Lombardis et ceteris qui secum sentiunt. Similiter, quod absit, si dominus imperator premoriatur, dominus papa et cardinales et ecclesia Romana iam dictam pacem firmiter observabunt successori suo et B(eatrici) felici uxori eius et Henrico regi filio eius et omnibus de Theotonico regno et ceteris adiutoribus suis, sicut prescriptum est. Et successores domini pape similiter observabunt.

† Wicmannus Madiburgensis archiepiscopus subscripsi.
† Philippus Coloniensis archiepiscopus subscripsi.
† Ego Cristianus Maguntinus archiepiscopus subscripsi.
† Ego Arnuldus Treuerensis archiepiscopus subscripsi.
† Ego Arduinus imperalis prothonotarius subscripsi.

22. Zugeständnisse Friedrichs II an Pabst Innocenz III von Reichswegen. Eger 1213 Juli 12.

Diese Urkunde ist in drei gleich datirten, aber thatsächlich wol nur annähernd gleichzeitigen Originalausfertigungen ausgestellt worden; die zweite unterscheidet sich von der ersten nur durch Abweichungen von formaler Bedeutung, die dritte durch einige inhaltliche Zusätze. Wir geben den Abdruck der ersten Ausfertigung aus Mon. Germ. hist. LL. II (1837) S. 224 ff. und bezeichnen die eben erwähnten Zusätze der dritten Ausfertigung durch runde Klammern, die Auslassungen derselben in der Zeugenliste durch eckige Klammern. Die dritte Fassung des Privilegs ist bei dessen Erneuerung zu Hagenau im September 1219 und späterhin massgebend geblieben. — Vgl. (Jahrbücher der deutschen Geschichte:) E. Winkelmann, Philipp von Schwaben und Otto IV von Braunschweig Bd. II (1878) S. 342 ff. und derselbe, Kaiser Friedrich II Bd. I (1889) S. 56.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Fredericus secundus divina favente clementia Romanorum rex semper augustus et rex Syciliae.

Regnum nostrum tunc stabiliri credimus et confidimus, cum Altissimum, de cuius manu ea quae possidemus bona recepimus, honoramus. Tanto enim Domino, qui bona tribuit nobis, ad offerendas hostias operis et devotionis astringimur, quanto ipsum misericordem in nobis et mirabilem experimur. Cognoscentes igitur gratiam, quae data est nobis ab ipso, habentes quoque pre oculis inmensa et innumera beneficia vestra, karissime domine et reverentissime pater, protector et benefactor noster, domine Innocenti, Dei gratia summe pontifex venerande, per cuius benefitium operam et tutelam aliti sumus protecti pariter ac promoti, postquam in sollicitudinem vestram mater nostra felicis memoriae Constantia imperatrix (et Sicilie regina) ex ipso quasi utero nos iactavit, vobis beatissime pater et omnibus catholicis successoribus vestris sancteque Romanae ecclesiae spetiali matri nostrae omnem obedientiam, honorificentiam atque reverentiam semper humili corde ac devoto spiritu impendemus, quam predecessores nostri reges et imperatores catholici vestris antecessoribus impendisse noscuntur, nichil ex his volentes diminui, set magis augeri, ut nostra devotio magis enitescat.

Illum igitur abusum volentes abolere, quem interdum quidam predecessorum nostrorum exercuisse dinoscuntur et dicuntur in electionibus prelatorum, concedimus et sanccimus, ut electiones prelatorum libere fiant et canonice, quatenus ille preficiatur aecclesiae viduatae, quem totum capitulum vel maior et sanior pars ipsius duxerit eligendum, dummodo nichil obstet ei de canonicis institutis.

Appellationes autem in negotiis et causis ecclesiasticis ad sedem apostolicam libere fiant, earum prosecutionem sive processum nullus impedire presumat.

Illum quoque dimittimus et refutamus abusum, quem in occupandis bonis decedentium prelatorum aut etiam ecclesiarum

vacantium nostri consueverunt antecessores committere pro motu propriae voluntatis. Omnia vero spiritualia vobis et aliis ecclesiarum prelatis relinquimus libere disponenda, ut quae sunt Cesaris Cesari, et quae sunt Dei Deo recta distributione reddantur.

Super eradicando autem hereticae pravitatis errore auxilium dabimus et operam efficacem.

Possessiones etiam, quas aecclesia Romana recuperavit ab antecessoribus nostris seu quibuslibet aliis ante detentas, liberas et quietas sibi dimittimus, ipsamque ad eas obtinendas bona fide promittimus adiuvare. Quas autem nondum recuperaverit, ad recuperandum pro viribus erimus coadiutores. Et quaecumque ad manus nostras devenient, sine difficultate (ac mora) ei restituere satagemus. Ad has pertinet tota terra quae est a Radicophano usque Zeperanum, marchia Anconitana, ducatus Spoletanus, terra comitissae Mahtildis, comitatus Brittenorii, exarcatus Ravennae, Pentapolis, (massa Trabaria) cum [aliis] adiacentibus terris expressis in multis privilegiis imperatorum et regum a tempore Ludowici, ut eas habeat Romana aecclesia in perpetuum cum omni iurisdictione districtu et honore suo. Veruntamen cum ad recipiendam coronam imperii vel pro necessitatibus aecclesiae ab apostolica sede vocati venerimus, de mandato summi pontificis recipiemus procurationes sive fodrum ab illis. (Omnia igitur supradicta et quecumque alia pertinent ad Romanam ecclesiam de voluntate et conscientia, consilio et consensu principum imperii libere illi dimittimus, renuntiamus et restituimus, necnon ad omnem scrupulum removendum, prout melius valet et efficacius intelligi, concedimus, conferimus et donamus, ut sublata omnis contentionis et dissensionis materia firma pax et plena concordia in perpetuum inter ecclesiam et imperium perseverent.) Adiutores etiam erimus ad rettinendum et deffendendum Romanae aecclesiae regnum Syciliae (cum omnibus ad ipsum spectantibus tam citra Farum quam ultra, necnon Corsicam et Sardiniam) ac cetera iura quae ad ipsam pertinere dinoscuntur, tamquam devotus filius et catholicus princeps.

Ut autem haec omnia vobis memorato sanctissimo patri nostro domino Innocentio, sacrosanctae Romanae aecclesiae summo pontifici, vestrisque successoribus per nos et nostros successores Romanorum reges et imperatores observentur firmaque et inconvulsa semper permaneant, presens privilegium conscriptum maiestatis nostrae aurea bulla iussimus communiri. Testes autem hii sunt: Sigefridus Moguntinae sedis arciepiscopus apostolicae sedis legatus, Eberhardus Salzburgensis arciepiscopus [Berardus Barensis arciepiscopus], Chuonradus Ratisponensis episcopus, Otto Wirzinburgensis episcopus, Manegoldus Pattaviensis episcopus, Engelhardus Zizensis episcopus, Odacrius Boemorum rex, Lodwicus dux Bawariae, Liupoldus dux Austriae et Styriae, Hermannus lantgravius Thuringiae, comes Albertus de Eberstein, comes Adolfus de Sowenburc, comes Burchardus de Mannesveld, comes

Gerhardus de Diets, comes Ludwicus de Wirtemberch, Gebehardus burcravius Meigdeburgensis, Hainricus de Stahhelburch, Waltherus de Langenberch, Heinricus de Chalandrino, marescalcus imperii, Waltherus de Sypf, pincerna imperii, [Gwaltherus Gentilis, comestabulus regni Sycilie] et alii quam plures.

Signum domini Frederici secundi Romanorum regis invictissimi (L. M.) et regis Syciliae.

Ego Chuonradus Dei et apostolicae sedis gratia Metensis episcopus vice domini Sigefridi Moguntini arciepiscopi et apostolicae sedis legati ac totius Germaniae arcicancellarii recognovi.

Acta sunt haec anno domini nostri Iesu Christi 1213, indictione prima, regnante domino Frederico secundo Romanorum rege glorioso et rege Sicilie, anno regni eius Romani primo, Siciliae vero 16.

Datum apud Egram per manus Bertoldi de Niffen regalis aulae prothonotarii quarto idus iulii.

23. Gesuch Erzbischofs Engelbert von Köln (im Namen der Wähler) an Pabst Gregor X die Wahl Rudolfs I zu approbieren 1273 Oktb. 24 und Antwort des Pabstes darauf 1274 Septb. 26.

Abgedruckt a mit Hinweglassung der langen schwülstigen Einleitung aus Mon. Germ. hist. LL. Bd. II (1837), S. 393 f.; b aus Codex diplomaticus dominii temporalis s. sedis hrsg. v. Aug. Theiner Bd. I (1861) S. 186. — Vgl. E. Engelmann, Der Anspruch der Päpste auf Konfirmation und Approbation bei den deutschen Königswahlen 1077—1379 (1886) S. 58 ff.

a) Sanctissimo etc. E. archiepiscopus Coloniensis.

Vacante siquidem iam pridem imperio, ne sic diutius aberraremus acephali, apud *Frankenfordiam* die ad hoc ab omnibus indicta et acceptata concorditer ad providendum eidem imperio convenientes in unum, tandem post aliquantulum de futuri regis substitutione tractatum in inclitum virum dominum Rudolphum comitem de Havesburg (invocata primitus spiritus sancti gratia, cum solennitatibus debitis et consuetis, servato in omnibus modo et ordine congruo) tanquam in magis utilem ad id et magis idoneum, quem cognovimus, (habito ad Deum precipue et ad rei publice causam respectu) potissime de communi consensu omnes et singuli oculos nostros iniecimus, eum in regem Romanorum imperatorem futurum una voce votoque unanimi authore Altissimo eligentes. Qua quidem electione canonice, imo divinitus procul dubio celebrata eundem cum inenarrabilis immensitate tripudii omnium applaudente caterva nobilium nec non populi comitiva letante ac in superne laudis canticum gratulabundius exurgente apud Aquisgranum utpote sedem, que primum sublimationis et glorie regie gradum ponit, magnifice duximus: ubi in die apostolorum a nobis Coloniensi episcopo, cuius interest regibus ab anti-

quo beneficium consecrationis impendere, fuit in sede magnifici Caroli coronatus et unctionis sanctissime oleo delibutus.

Et ut de regis electi sic et coronati persona sacrosancte Romane ecclesie matri nostre nova gaudia cumulentur, idem rex est fide catholicus, ecclesiarum amator, iustitie cultor, pollens consilio, fulgens pietate, propriis potens viribus et multorum potentium affinitate connexus, Deo, ut firmiter opinamur, amabilis et humanis aspectibus, ut cernitur, gratiosus, insuper corpore strenuus et in rebus bellicis contra infideles fortunatus.

Propter quod speramus in eo, qui reges et regna constituit, quod sub eius principatu pacifica quies regno proveniet, pax ecclesiis, concordia plebibus et moribus disciplina: ita quod gladii conflabuntur in vomeres cornu christi sui a rege regum magnifice sublimato.

Vos itaque quesumus, pater sancte, suscipite filium singularem, quem procul dubio sentietis intrepidum matris ecclesie pugilem et invictum fidei catholice defensorem. Processum vero tam rite, tam provide, tam mature de ipso sic habitum gratiose approbationis applausu benevolo prosequentes ac ex affluenti paterne dulcedine pietatis opus perficientes Dei in ipso, eundem, cum vestre sanctitati placuerit et visum fuerit opportunum, ad imperialis fastigii diadema dignemini misericorditer evocare, ut sciant et intelligant universi, quod posuerit vos in lucem gentium Dominus et per vestre discretionis arbitrium orbi terre post nubilum exoptata serenitas illuscescat.

b) Gregorius episcopus etc. carissimo in Christo filio . . . regi Romanorum illustri salutem etc. Solent ardua precipue perpensis digesta consiliis sentire potius celeritatis ex directione compendium, quam pati dispendium tarditatis. Sic longa belli preparatio celerem consuevit afferre victoriam, sic iter festinatur instanter, dum sollicite preparatur. Hec nos consideratio in imperialis negotii prosecutione hucusque detinuit, hec in tui consumatione fastigii multa uti maturitate suasit, hec varias vias suggessit exquirere diversaque remedia cogitare, ut Deo auspice tanto illa, que instant, deducamus securius, quanto accuratius preparamus. Licet itaque non sine causa distulerimus hactenus regiam tibi denominationem ascribere, cum fratribus tamen nostris nuper deliberatione prehabita te regem Romanorum de ipsorum consilio nominamus. Causas autem salubris dilationis, immo potius consulte accelerationis huiusmodi ad totius orbis et ad ipsius maxime profuture pacem imperii, ut speramus, dilectus filius . . . Tridentinus electus et frater Henricus de ordine Minorum tue celsitudinis nuntii non solum ad veritatis expressionem, sed ad exhortationis sollicitationem aperient, ut in eis doctrine specimen exemplaris inspiciens et salutaris consuetudinis informationem recipiens prudenter satagas in cunctis tuis processibus vitare discordias, vias tuas facere pro posse pacificas, et (per)

semitas, quas princeps pacis, rex regum et dominantium dominus docuit, quantum ipse tibi concessit, pro viribus ambulare. Ceterum cum inchoata feliciter ad eiusdem culmen imperii tue promotionis auspitia non prosecutionis procrastinatione differri, sed festina deinceps consumatione compleri utilitas manifesta suadeat, serenitatem tuam hortamur ac sincero tibi affectu et consilio suademus, quatenus sic te prepares, sic disponas, ut cum te ad unctionem consecrationem et imperialis diadematis coronationem de nostris recipiendas manibus duxerimus evocandum, (ad quod terminum in proximo, prout circumstantie pensande permiserint, intendimus assignare), non improvisus, sed sicut tanti negotii solempnia exigunt, paratus appareas et ad premissa non morosus, sed promptus et festinus occurras. Expedit autem, ut aliquem vel aliquos, qui super eiusdem assignatione termini, quid tue commoditati congruat, et alias plene tuam super hoc per omnia voluntatem nobis insinuare valeant, cito ad presentiam nostram mittas. Datum Lugduni 6. kalendas octobris, pontificatus nostri anno tertio.

24a. Zusicherungen Heinrichs VII an Pabst Clemens V. Lausanne 1310 Oktober 11.

Abgedruckt aus Baronius-Raynald, Annales ecclesiastici Bd. XV (1694) S. 56 ff; (siehe auch A. Theiner, Codex diplomaticus dominii temporalis sanctae sedis Bd. I (1861) S. 439 Nr. 612 bezw. S. 433 ff. Nr. 607 und Mon. Germ. hist. LL. II S. 501 ff.) Die Erneuerung des Privilegs nach der Kaiserkrönung 1312 Juli 6 s. Theiner l. c. S. 455 f. Nr. 626. — Vgl. Engelmann (oben Nr. 23); Th. Lindner, Deutsche Geschichte unter den Habsburgern und Luxemburgern (aus Bibliothek deutscher Geschichte) Bd. I (1890) S. 180 ff.

Sanctissimo in Christo patri ac domino suo domino Clementi sacrosancte Romane ac universalis ecclesie summo pontifici Henricus Dei gratia Romanorum rex semper augustus cum reverentia debita devota pedum oscula beatorum.

Ferventi desiderio cupientes sanctitatis vestre pedibus et apostolice sedi toto corde et animo zelum nostre reverentie fidei et devotionis offerre, vestris sanctis monitis exhortationibus et mandatis nos pro viribus coaptando, et honorem vestrum ac sancte Romane ecclesie ac aliarum ecclesiarum iura diligere et pro posse protegere atque servare attendentes propensius, quod nihil est, quod lumine clariore prefulgeat quam recta fides in principe, nihilque est, quod ita nequeat occasui subiacere quam vera religio, et quod ad Dei timorem servandum mandataque eius custodienda factus est omnis homo, sed precipue imperialis et regalis potestas, que a domino Deo est, et ad eius ministerium exequendum, ad fidem et reverentiam sui nominis dilatandam in omnes regiones et regna; promittimus et obligamus nos cum omni efficacia Deo omnipotenti vobisque domino nostro Clementi summo pontifici vestrisque successoribus ac sacrosancte sedi apostolice et

Romano ecclesie, que ecclesiarum omnium caput est et magistra, quod sacrosanctam catholicam et apostolicam ecclesiam fidemque catholicam fundatam supra fundamentum apostolorum et prophetarum (ipso summo angulari lapide Christo Iesu, in quo omnis edificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino, in cuius nomine omne genu flectitur celestium, terrestrium et infernorum, nec est nomen aliud sub celo, in quo salvari oporteat credentes), toto corde et animo, pura fide et sancta intentione conservabimus, reverebimur atque defendemus totis viribus et toto posse, ac omnem heresim et schisma extollentem se contra sanctam catholicam et apostolicam ecclesiam exterminabimus pro viribus, et omnes hereticos, cuiuscumque sectae et conditionis existentes, facies quidem habentes diversas sed caudas adinvicem colligatas, quibus vineam domini Dei Sabaoth perdere et vastare nituntur, omnesque fautores adiutores valitores et receptatores ac defensores eorum, et quod nullo tempore coniungemur, confederabimur parentela vel federe vel unione quacumque cum quocunque Saraceno vel pagano vel schismatico rege vel principe vel quocunque alio fidei catholice communionem non habente, neque cum aliquo rebelle vel inimico ipsius Romane ecclesie vel eidem manifeste suspecto.

Item promittimus et obligamus nos cum omni efficacia et effectu, quod personam vestram statum et honorem et successorum vestrorum contra quemcunque seu quoscumque homines, cuiuscumque status, preeminentie vel dignitatis existant, conservabimus et defendemus et manutenebimus; nec non omnia privilegia regnum et principum et imperatorum Romanorum predecessorum nostrorum, cuiuscumque tenoris et continentie existant, quocumque tempore concessa sancte Romane ecclesie ac Romanis pontificibus et sedi apostolice et quibuscumque ecclesiis, prelatis et ministris ipsarum conservabimus et manutenebimus, nec aliquo unquam tempore contraveniemus, nec aliquem, quantum in nobis erit, venire permittemus quacumque occasione vel titulo allegato iuris vel facti, immo ad perpetuam rei memoriam et sancte ecclesie securitatem atque cautelam ipsa privilegia omnia pro nobis et successoribus nostris ratificamus et confirmamus, recognoscimus, innovamus et de novo concedimus, prout melius et plenius possumus ex certa scientia cum omni efficacia et effectu; volentes ac etiam decernentes, quod ista generalis ratificatio, confirmatio, recognitio, innovatio et de novo concessio perinde robur obtineant perpetue firmitatis, ac si omnia et singula privilegiorum verba singulariter et expresse ac de verbo ad verbum presentibus inserta fuissent. Specialiter autem et expresse cum omni efficacia et effectu supradictis ratificamus, confirmamus, recognoscimus et innovamus et de novo concedimus omnia privilegia Constantini, Caroli, Henrici, Othonis quarti, Frederici secundi, atque Radulphi, regum et principum seu imperatorum Romanorum, quocumque tempore concessa super quibuscumque, cuiuscumque continentie

vel tenoris existant, sancte Romane ecclesie Romanisque pontificibus et sedi apostolice.

Promittimus etiam et obligamus nos cum omni efficacia et effectu, omni iure et forma, quo melius et efficacius fieri potest, manutenere et conservare omnia privilegia, cuiuscumque tenoris vel conditionis existant, et nullo unquam tempore contravenire vel aliquo modo, quantum in nobis est, venire permittemus quacumque occasione vel causa vel titulo allegato iuris vel facti per quoscumque reges vel principes seu imperatores Romanorum, et precipue per supradictos Constantinum, Carolum, Henricum, Othonem quartum et Fredericum secundum atque Radulphum concessa sancte Romane ecclesie et Romanis pontificibus et apostolice sedi super recognitione, innovatione, avoatione, donatione, concessione, quitatione, renuntiatione et libera dimissione terrarum et provinciarum sancte Romane ecclesie ubicumque positarum; precipue marchie Anconitane cum omnibus civitatibus, limitibus, terminis et confinibus suis integraliter et cum omnibus iuribus et iurisdictionibus earundem, exarchatus Ravenne et Pentapolis ac Romaniole et Brittenorii comitatus cum civitate Bononie et cum omnibus civitatibus, terris, limitibus, terminis et confinibus integraliter et cum omnibus iuribus et iurisdictionibus earundem; vallis quoque, que Spoletana dicitur sive ducatus, cum civitatibus Perusii atque Castelli, et cum omnibus civitatibus, terris, limitibus, terminis et confinibus suis integraliter et cum omnibus iuribus et iurisdictionibus earundem; masse quoque, que Trabaria nuncupatur, cum omnibus civitatibus, terris, limitibus, terminis et confinibus integraliter et cum omnibus iuribus et iurisdictionibus earundem; patrimonii etiam beati Petri in Tuscia cum civitatibus Tuderti, Narnie, Urbisveteris et Reate et cum omnibus civitatibus, terris, limitibus, terminis et confinibus integraliter et omnibus iuribus et iurisdictionibus earundem; comitatus quoque Sabine cum civitate Interamnensi et cum arce Cesarum et terra, que dicitur Arnulphorum, cum omnibus civitatibus, terris, limitibus, terminis et confinibus integraliter et cum omnibus iuribus et iurisdictionibus earundem; comitatus quoque Campanie atque Maritime cum omnibus civitatibus, terris, limitibus, terminis et confinibus integraliter et cum omnibus iurisdictionibus et iuribus earundem.

Ex superabundanti de novo et ad maiorem cautelam supradictas omnes terras atque provincias cum omnibus iuribus, iurisdictionibus, terminis, limitibus, confinibus earundem et ius ac possessionem et proprietatem ipsarum cum omni plenitudine recognoscimus iure plenissimo ad ius et propietatem sancte Romane ecclesie spectare ac omnimode pertinere, ac ipsas omnes terras atque provincias de novo avoamus, innovamus atque concedimus, quitamus libere et dimittimus, restituimus et renuntiamus, nec non ad omnem scrupulum removendum et ut pax quies atque tranquillitas inter ecclesiam et imperium iugiter vigeat et futuris

dante Domino temporibus feliciter augeatur et omnis contentionis et dissensionis cuiuslibet materia precludatur, prout melius et efficacius fieri et intelligi potest, concedimus ipsas, conferimus et donamus de novo, promittentes et obligantes nos, prout plenius et efficacius possumus, quod nullo unquam tempore occupabimus vel occupari, quantum in nobis est, permittemus civitates, loca, castra, terras et provincias supradictas vel aliquam ipsarum vel earum partem; nec in ipsis vel aliqua ipsarum vel earum parte iurisdictionem aliquam per nos vel per alium geremus vel exercebimus; vel iura aliqua, possessiones vel tenutas habebimus vel possidebimus in eisdem terris vel provinciis vel aliqua ipsarum vel earum parte; nec officium aliquod geremus per nos vel per alium potestarie vel capitanie seu quocumque nomine censeatur in ipsis vel aliqua ipsarum vel earum parte; et quod tanquam princeps catholicus, advocatus et defensor sancte Romane ecclesie iuvabimus ipsam sibique assistemus contra quoscumque occupantes, invadentes vel turbantes provincias ipsas, civitates, loca, castra vel terras vel aliquam ipsarum seu earum partem; et quoscumque inobedientes seu rebelles ecclesie, precipue in provinciis, civitatibus, locis, castris et terris eisdem, in nullo fovebimus vel manutenebimus seu per quoscumque foveri vel manuteneri, quantum in nobis est, permittemus; sed contra ipsos assistemus auxiliis, consiliis et favoribus opportunis sancte Romane ecclesie ac Romanis pontificibus et apostolice sedi, quousque rebelles et subditi ad plenam reverentiam et obedientiam reducantur.

Promittimus quoque sanctam Romanam ecclesiam et ecclesias alias ac libertatem ecclesiasticam et bona, iura, prelatos et ministros ipsarum manutenere, conservare ac pro viribus defensare, vassallos quoque Romane ecclesie contra iustitiam non offendere; et quoslibet devotos et fideles ecclesie, etiam in imperio constitutos, benigne tractabimus et contra iustitiam non opprimemus, neque per alium, quantum in nobis est, opprimi permittemus, sed conservabimus in iuribus et iustitiis eorundem.

Predicta autem omnia et singula inviolabiliter observare et observari facere et nullo unquam tempore contravenire iuravimus ad sancta Dei euangelia, tacto libro in manibus venerabilis patris domini Balduini archiepiscopi Treverensis et discreti viri Ioannis de Molans scholastici ecclesie Tullensis vestri capellani, nomine Romane ecclesie et sedis apostolice ac vestro et de vestro mandato specialiter recipientium; de qua etiam receptione tam per alias nostras quam per ipsorum recipientium litteras seu instrumentum publicum plene constat.

Et ad predictorum omnium perpetuam rei memoriam et sancte Romane ecclesie ac sedis apostolice et Romanorum pontificum securitatem atque cautelam presentes litteras regie maiestatis sigillo munitas fecimus communiri, promittentes et obligantes nos cum omni efficacia et effectu, quod post imperialis diadematis coronationem susceptam predicta omnia ratificabimus, confirmabimus

et recognoscemus et faciemus et servabimus atque iurabimus; et de supradictis omnibus infra octo dies nostras patentes dabimus litteras quadruplicatas harum seriem continentes ad perpetuam rei memoriam et ad securitatem et cautelam vestram et successorum vestrorum et sancte Romane ecclesie et apostolice sedis, imperialis maiestatis typario communitas.

Dat. Lausane, 5. idus octobris, regni nostri anno 2. anno Domini 1310.

24b. Sicherheitseid Heinrichs VII für Pabst Clemens V.

Abgedruckt aus dem Protokoll der Verhandlungen zu Avignon, wo Heinrich den Eid 1309 Juni 2 durch seine Prokuratoren erstmals leisten liess, bei A. Theiner, Codex diplomaticus dominii temporalis sanctae sedis Bd. I (1861) S. 417 (s. auch Mon. Germ. LL. II S. 494); Heinrich wiederholte dann denselben Eid persönlich bei seiner Kaiserkrönung 1312 Juni 29, s. Theiner l. c. S. 444 (auch Mon. Germ. LL. II S. 532 Zeile 9 ff.), selbstverständlich unter Fortlassung des letzten Satzes. — Vgl. die unter 24a angeführten Schriften; ferner R. Pöhlmann, Der Römerzug Kaiser Heinrichs VII (Diss. München 1875) S. 96 f.; E. Friedberg, De finium inter ecclesiam et civitatem regundorum judicio quid medii aevi doctores et leges statuerint (1861) S. 82 f.; über den Zusammenhang mit früheren Sicherheitseiden der Könige G. Waitz, Deutsche Verfassungsgesch. Band VI (1875) S. 177—181.

Nos Sifridus Curiensis episcopus, Amedeus comes Sabaudie, Ioannes delphinus Viennensis et Albonensis comes, Guido de Flandria, Ioannes comes de Saraponte et Simon de Marvilla thesaurarius Metensis, nuncii et procuratores serenissimi principis Henrici Romanorum regis, habentes ad omnia infrascripta plenam et generalem ac liberam potestatem et speciale mandatum ab eodem, prout constat per predictas patentes litteras ipsius, vobis sanctissimo patri et domino, domino Clementi divina providente clementia pape quinto, vice et nomine dicti domini nostri regis et in animam ipsius promittimus et iuramus per Patrem et Filium et Spiritum sanctum et per hec sancta Dei euangelia et per hoc lignum vivifice crucis et per has reliquias sanctorum, quod nunquam vitam aut membra neque ipsum honorem, quem habetis, sua voluntate aut suo consensu aut suo consilio aut sua exhortatione perdetis; et in Roma nullum placitum aut ordinationem faciet de omnibus, que ad vos pertinent aut Romanos, sine vestro consilio et consensu; et quicquid de terra ecclesie Romane pervenit ad ipsum aut perveniet, vobis reddet quam citius poterit; et quandocumque in Lombardiam et Tusciam aliquem mittet pro terris et iuribus suis gubernandis, quoties mittet eum iurare faciet illum, ut adiutor vester sit ad defendendum terram sancti Petri et Romanam ecclesiam secundum suum posse; et si permittente Domino dictus dominus noster rex Romam venerit, sanctam Romanam ecclesiam et vos rectorem ipsius et successores vestros exaltabit secundum suum posse. Et cum Rome vel alibi per vos

in imperatorem coronandus fuerit dominus noster rex predictus, dictum sacramentum et aliud fieri consuetum ad requisitionem vestram tempore coronationis sue personaliter renovabit.

24c. Krönungseid Heinrichs VII bei der Kaiserkrönung 1312 Juni 29.

Abgedruckt aus A. Theiner l. c. S. 444 (auch Mon. Germ. hist. LL. S. 532). — Vgl. G. Waitz, Deutsche Verfassungsgeschichte Bd. VI (1875) S. 181 f. über frühere Krönungseide.

Ego Henricus rex Romanorum, futurus annuente Domino imperator, promitto spondeo et polliceor coram Deo et beato Petro, me de cetero protectorem et defensorem fore summi pontificis et sancte Romane ecclesie in omnibus necessitatibus et utilitatibus suis, custodiendo et conservando possessiones, honores et iura eius, quantum divino fultus adiutorio fuero, secundum scire ac posse meum recta et pura fide; sic me Deus adiuvet et hec sancta Dei euangelia.

25. Die Stellung der Kurie zur Wahl Wenzels.

Abgedruckt a) aus Deutsche Reichstagsakten Bd. I (1867) S. 139 f. (Nr. 86), b) ebendaraus S. 143 (Nr. 89). — Vgl. ausser Engelmann (oben Nr. 23) noch J. Weizsäcker, Die Urkunden der Approbation König Ruprechts (aus: Abhandlungen der Akademie der Wissenschaften zu Berlin 1888), S 14 ff.

a) Forderungen der Kurie.

Litere infrascripte videntur necessarie.

1. Primo quod a domino . . imperatore habeatur litera suo sigillo auctentico sigillata et de data longe ante quam electio . . regis Boemie in regem Romanorum fuerit celebrata, continens quomodo dominus imperator petit a domino nostro papa, quod sua sanctitas electioni fiende de filio suo in regem Romanorum ad imperium postmodum promovendum prestare dignetur suam graciam beneplacitum et favorem ac consensum. et notandum, quod dicta electio fuit celebrata die 10. junii anno domini 1370 sexto indictione 14. fiat igitur de data anteriori tribus mensibus. litera vero alias transmissa fuit de data 2. nonas aprilis.

2. Item fiat una bulla apostolica sub data ad minus per mensem ante electionem predictam, dirigenda domino imperatori, responsiva ad predictam, continens dicti domini nostri pape erga electionem prefatam fiendam graciam beneplacitum favorem et assensum.

3. Item promittat et juret tam pater quam filius, quod numquam eis viventibus procurabunt aliquem eligi etc.

4. Item secreto et ad partem promittant, quod contentabuntur,

ut tempore opportuno fiat per dominum nostrum papam declaratio, quod vivente imperatore alius non eligatur sine Romani pontificis gracia beneplacito favore et assensu.

5. Item habeatur litera super facto . . regis Francie etc.

6. Item quod litere auctentice et sigillate alias Avinionem portate per . . episcopum Wormaciensem et sotios imperatoris nuntios, quas dominus Conradus decanus Spirensis secum minus caute reportavit, remittantur domino nostro pape.

b) Versprechen Kaiser Karls zugleich im Namen Wenzels.

Karolus quartus divina favente clemencia Romanorum imperator semper augustus et Boemie rex. notum facimus tenore presencium universis, quod animo deliberato in presencia testium, videlicet venerabilium Johannis Pragensis archiepiscopo apostolice sedis legati consiliarii, Galehardi episcopi Spoletani apostolice sedis nunccii principum, nec non Conradi decani Wissegradensis capellani et secretarii devotorum nostrorum dilectorum, et notarii publici infrascripti, corporaliter promisimus et juravimus et de certa sciencia promittimus et juramus, quod, nobis imperatore ac serenissimo principe domino Wenceslao filio nostro carissimo rege Romanorum vel ipso post nos imperatore existentibus, nunquam procurabimus aliquem alium in Romanorum regem ad imperium promovendum eligi, nec super hoc cum principibus electoribus, eciam si vellent eligere, intererimus, ymmo impediemus pro posse, necnon hoc domino nostro summo pontifici et successori suo tunc ecclesie presidenti tali tempore notificabimus, quod super hoc possit et valeat commode provideri. presencium sub imperialis nostre majestatis sigillo testimonio literarum, datum Tangermunde anno domini millesimo trecentesimo septuagesimo septimo, indiccione quinta decima, 9 kalendas octobris, regnorum nostrorum anno tricesimo secundo, imperii vero vicesimo tercio.
De mandato domini . . imperatoris Nicolaus Camericensis prepositus.

26. Das sog. Wiener Konkordat zwischen Kaiser Friedrich III und Pabst Nicolaus V. 1448.

Abgedruckt aus Fontes iuris ecclesiastici ed. F. Walter (1862) S. 109 bis 114. — Vgl. P. Hinschius, Das Kirchenrecht der Katholiken und Protestanten in Deutschland Bd. III (1883), S. 415; L. Pastor, Geschichte der Päpste seit dem Ausgang des Mittelalters Bd. I (1856), S. 296—299.

In nomine Domini amen. Anno a nativitate eiusdem millesimo quadringentesimo quadragesimo octavo die decima septima mensis februarii inter sanctissimum in Christo patrem ac dominum nostrum dominum Nicolaum divina providentia papam quintum apostolicamque sedem ac nationem Alamanicam sanctissimi domini nostri et sedis eorundem nominibus per reverendissimum in Christo patrem ac dominum Ioannem sacrosanctae

Romanae ecclesiae cardinalem legatum ad nationem Germanicam de latere missum plena in ea parte auctoritate et potestate munitum et pro ipsa natione Alamanica per gloriossimum principem ac dominum nostrum dominum Fridericum Romanorum regem semper augustum etc. plurimorum sacri Romani imperii electorum aliorumque eiusdem nationis tam ecclesiasticorum, quam saecularium principum consensibus accedentibus conclusa laudata et acceptata sunt concordata subscripta.

Sanctissimus dominus noster Nicolaus papa quintus super provisionibus ecclesiarum beneficiorumque quorumcunque utetur reservationibus iuris scripti et constitutionibus „execrabilis" et „ad regimen" modificatis, ut sequitur:

[1] Ad regimen ecclesiae generalis quanquam immeriti superna dispositione vocati gerimus in nostris desideriis, ut debemus, quod per nostrae diligentiae studium ad quarumlibet ecclesiarum et monasteriorum regimina et alia beneficia ecclesiastica iuxta divinum beneplacitum et nostrae intentionis affectum viri assumantur idonei, qui praesint et prosint committendis eis ecclesiis monasteriis et beneficiis praelibatis. Praemissorem itaque consideratione inducti et suadentibus nobis aliis rationabilibus causis nonnullorum praedecessorum Romanorum pontificum vestigiis inhaerentes omnes patriarchales archiepiscopales, episcopales ecclesias, monasteria, prioratus, dignitates, personatus et officia necnon canonicatus et praebendas et ecclesias caeteraque beneficia ecclesiastica cum cura vel sine cura secularia et regularia, quaecunque et qualiacunque fuerint, etiamsi ad illa personae consueverint seu debuerint per electionem seu quemvis alium modum assumi, nunc apud sedem apostolicam quocunque modo vacantia et in posterum vacatura necnon per depositionem seu privationem seu translationem per nos seu auctoritate nostra factas et inantea faciendas ubilibet necnon ad quae aliqui in concordia seu discordia electi vel postulati fuerint, quorum electio cassata seu postulatio repulsa vel per eos facta renuntiatio et admissa auctoritate nostra extiterit seu quorum electorum vel postulatorum et inantea eligendorum vel postulandorum electionem cassari seu postulationem repelli aut renuntiationem admitti per nos aut auctoritate nostra continget, apud sedem praedictam vel alibi ubicunque, et etiam per obitum cardinalium eiusdem ecclesiae Romanae aut officiariorum dictae sedis, quamdiu ipsa officia actualiter tenebunt, videlicet vicecancellarii, camerarii, septem notariorum, auditorum litterarum contradictarum et apostolici palatii causarum auditorum, correctorum, centum et unius scriptorum litterarum apostolicarum et viginti quatuor poenitentiariae praefatae sedis et vigenti quinque abbreviatorum nec non verorum commensalium nostrorum et aliorum vigenti quinque capellanorum sedis eiusdem in ephitaphio descriptorum et etiam quorumcunque legatorum seu collectorum ac in terris Romanae ecclesiae rectorum et thesaurariorum deputatorum seu missorum

hactenus vel deputandorum aut mittendorum in posterum vacantia et inantea vacatura, ubicunque dictos legatos vel collectores seu rectores aut thesaurarios, antequam ad Romanam curiam redierint seu venerint, rebus eximi contigerit ab humanis, necnon quorumlibet pro quibuscunque negotiis ad Romanam curiam venientium seu etiam recedentium ab eadem, si in locis a dicta curia ultra duas diaetas legales non distantibus iam forsan obierint, vel eos inantea ab hac luce transire contigerit, etiam simili modo quorumcunque curialium peregrinationis infirmitatis seu recreationis vel alia quacunque causa ad quaevis loca secedentium, si eos, antequam ad dictam curiam redierint, in locis ultra duas diaetas ab eadem curia, ut praemittitur, non remotis, dummodo eorum proprium domicilium non existat ibidem, iam forsan decesserint, vel in posterum eos contigerit de medio submoveri et nunc per obitum huiusmodi vacantia vel in posterum vacatura, rursus monasteria prioratus et decanatus dignitates personatus administrationes officia canonicatus praebendas et ecclesias caeteraque beneficia ecclesiastica saecularia et regularia cum cura et sine cura, quaecunque et qualiacunque fuerint, etiamsi ad illa personae consueverint seu debuerint per electionem seu quemvis alium modum assumi, quae promoti per nos vel auctoritate nostra ad patriarchalium, archiepiscopalium et episcopalium ecclesiarum necnon monasteriorum regimina obtinebant tempore promotionum de ipsis factarum, nunc quocunque modo vacantia aut in posterum vacatura necnon etiam (quae?) per assecutionem pacificam quorumcunque prioratuum dignitatum personatuum officiorum canonicatuum praebendarum ecclesiarum aut beneficiorum aliorum per nos seu auctoritate nostrarum litterarum immediate collatorum seu conferendorum in posterum, praeterquam si virtute gratiae exspectativae assecutio fiat, nunc vacantia et inantea vacatura, plena super praemissis omnibus et singulis cum fratribus nostris collatione praehabita et matura deliberatione secuta ordinationi dispositioni ac provisioni nostrae de ipsorum fratrum consilio auctoritate apostolica reservamus. Decernentes ex nunc irritum et inane, si secus super praemissis et quolibet eorum per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari.

[2] Item in ecclesiis metropolitanis et cathedralibus etiam apostolicae sedi immediate non subiectis et in monasteriis apostolicae sedi immediate subiectis fiant electiones canonicae, quae ad sedem apostolicam deferantur, quas etiam ad tempus constitutum in constitutione Nicolai, quae incipit „cupientes", papa exspectet; quo facto, si non fuerint praesentatae vel si praesentatae minus canonicae fuerint, papa provideat; si vero canonicae fuerint, papa eas confirmet; nisi ex causa rationabili et evidenti et de fratrum consilio de digniori et utiliori persona duxerit providendum, proviso, quod confirmati et provisi per papam nihilominus metropolitanis et aliis praestent debita iuramenta et alia, ad quae de iure tenentur.

[2b] In monasteriis, quae non sunt immediate subiecta sedi apostolicae necnon in aliis beneficiis regularibus, super quibus pro confirmatione seu provisione non consuevit haberi recursus ad sedem apostolicam, non teneantur venire electi seu illi, quibus providendum est, ad curiam ad habendum confirmationem vel provisionem; nec etiam dicta beneficia regularia cadant in gratiis exspectativis. ubi autem in monasteriis ad curiam Romanam venire seu mittere consueverunt, ibi papa aliter non confirmet seu provideat, quam superius de cathedralibus ecclesiis est expressum. de monasteriis monialium papa non disponat, nisi sint exemta, et tunc per commissionem in partibus.

[3] De caeteris dignitatibus et beneficiis quibuscunque saecularibus et regularibus vacaturis ultra reservationes iam dictas maioribus dignitatibus post pontificales in cathedralibus et principalibus in collegiatis exceptis, de quibus iure ordinario provideatur per illos inferiores, ad quos alias pertinet, idem sanctissimus dominus noster per quamcunque aliam reservationem gratiam exspectativam aut quamvis aliam dispositionem sub quacunque verborum forma per eum aut eius auctoritate factam vel fiendam non impediet, quominus de illis, cum vacabunt de mensibus februarii aprilis iunii augusti octobris et decembris, libere disponatur per illos, ad quos collatio provisio praesentatio electio aut alia quaevis dispositio pertinebit, reservationibus aliis praemissis ac dispositionibus auctoritate eiusdem domini nostri papae factis vel faciendis non obstantibus quibuscunque. quoties vero aliquo vacante beneficio de mensibus ianuarii martii maii iulii septembris et novembris dispositioni apostolicae sedis reservatis non apparuerit infra tres menses a die notae vacationis in loco beneficii, quod alicui de illo apostolica auctoritate fuerit provisum, extunc et non antea ordinarius vel alius, ad quem illius dispositio pertinebit, de illo libere disponat.

[3b] Item ad finem, ut haec ordinatio collationis beneficiorum non reservatorum per alternos menses possit per nationem publicari, et omnes, qui ipsa gaudere voluerint, tempus congruum habeant eandem acceptandi, tunc quoad apostolicam sedem in kalendis iunii proxime futuris ipsa currere incipiet durabitque deinceps, nisi in futuro concilio de consensu nationis aliter fuerit ordinatum.

[4] Item circa provisionem apostolicae sedi ordinandam modus annatarum hoc modo currat: de ecclesiis cathedralibus omnibus et monasteriis virorum duntaxat vacantibus et vacaturis solventur pro fructibus primi anni a die vacationis summae pecuniarum in libris camerae apostolicae taxatae, quae communia servitia nuncupantur. si quae vero excessive taxatae sunt, retaxentur; et providentur specialiter in gravatis regionibus secundum qualitatem rerum temporum et regionum, ne nimium praegraventur: ad quod sanctissimus dominus noster petentibus dabit commissarios in partibus, qui diligenter inquirant et retaxent.

taxae autem praedictae pro media parte infra annum a die habitae possessionis pacificae totius vel maioris partis solvantur et pro media parte alia infra sequentem annum. et si infra annum bis vel pluries vacaverint, semel tantum solvetur; nec debitum huiusmodi in successorem in ecclesia vel monasterio transeat.

[4[b]] De* caeteris dignitatibus personatibus officiis et beneficiis saecularibus quibuscunque et regularibus, quae auctoritate sedis apostolicae conferentur vel de quibus providebitur praeterquam vigore exspectativarum aut causa permutationis, solvantur annatae seu medii fructus iuxta taxam solitam a tempore possessionis infra annum, et debitum huiusmodi in successorem in beneficio non transeat. de beneficiis vero, quae valorem viginti quatuor florenorum de camera non excedunt, nihil solvatur, curatque haec observantia deinceps, nisi eam similiter in futuro concilio de consensu nationis inmutari contingat.

[5] In aliis autem, quae per felicis recordationis dominum Eugenium papam quartum pro natione praefata usque ad tempus futuri generalis concilii permissa concessa indulta atque decreta et per memoratum sanctissimum dominum nostrum papam Nicolaum confirmata fuere, in quantum illa concordiae praesenti non obviant, ista vice nihil extitit immutatum.

[6] Voluit etiam memoratus dominus legatus, quod super concordatis praesentibus singuli metropolitani praedictae nationis petentibus quibuscunque, quantum opus eis videbitur, sub suis sigillis transsumta concedere valeant, quodque transsumtis eisdem in iudicio et extra stetur et adhibeatur tanquam huic originali cartae per omnia plena fides. per hoc autem, quod in concordatis huiusmodi sive quibusvis aliis eorum occasione conficiendis litteris propter competentiorem descriptionem Alamania specialis appellatur natio, ipsa censeri non debet a Germanica natione distincta seu quomodolibet separata.

Ad fidem igitur et robur omnium praemissorum nos Fridericus Romanorum rex et nos Iohannes cardinalis legatus supradicti cartam praesentem nostris appensis mandavimus communiri sigillis.

Ad mandatum domini regis in consilio.

---

* Die Einteilung bei Walter ist an dieser Stelle unrichtig; überhaupt lässt der Text, den er giebt, manches zu wünschen übrig.
(vgl. Vorrede.)

III.

Ständische Verhältnisse.

27. Lehnsgesetz Konrads II. Lager vor Mailand 1037 Mai 28.

Abgedruckt aus Mon. Germ. hist. LL. Bd. II (1837) S. 39 f. — Vgl. G. Waitz, Deutsche Verfassungsgesch. Bd. VI (1875) S. 2 f., 417 f.; H. Bresslau, Jahrbücher des deutschen Reichs unter Konrad II Bd. II (1884) S. 244 ff.; 368 ff.

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Chuonradus Dei gratia Romanorum imperator augustus. Omnibus sanctae Dei ecclesiae nostrisque fidelibus praesentibus scilicet et futuris notum esse volumus, quod nos ad reconciliandos animos seniorum et militum, ut ad invicem semper inveniantur concordes et ut fideliter et perseveranter nobis et suis senioribus serviant devote, praecipimus et firmiter statuimus:

Ut nullus miles episcoporum abbatum abbatissarum aut marchionum vel comitum vel omnium, qui beneficium de nostris publicis bonis aut de ecclesiarum praediis nunc tenet aut tenuerit vel hactenus iniuste perdidit, tam de nostris maioribus walvassoribus, quam et eorum militibus, sine certa et convicta culpa suum beneficium perdat, nisi secundum constitutionem antecessorum nostrorum et iudicium parium suorum. Si contentio fuerit inter seniores et milites, quamvis pares adiudicaverint illum suo beneficio carere debere, si ille dixerit hoc iniuste vel odio factum esse, ipse suum beneficium teneat, donec senior et ille quem culpat cum paribus suis ante praesentiam nostram veniant et ibi causa iuste finiatur. Si autem pares culpati in iudicio senioribus defecerint, ille qui culpatur suum beneficium teneat, donec ipse cum suo seniore et paribus ante nostram praesentiam veniant. Senior autem aut miles qui culpatur, qui ad nos venire decreverit, sex hebdomadas antequam iter incipiat ei cum quo litigaverit innotescat. Hoc autem de maioribus walvassoribus observetur. De minoribus vero in regno aut ante seniores aut ante nostrum missum eorum causa finiatur.

Praecipimus etiam, ut cum aliquis miles sive de maioribus sive de minoribus de hoc seculo migraverit, filius eius beneficium habeat. Si vero filium non habuerit et abiaticum ex masculo filio reliquerit, pari modo beneficium habeat, servato usu maiorum walvassorum in dandis equis et armis suis senioribus. Si forte abiaticum ex filio non reliquerit et fratrem legitimum ex parte

patris habuerit, si seniorem offensum habuit et sibi vult satisfacere et miles eius effici, beneficium quod patris sui fuit habeat.

Insuper etiam omnibus modis prohibemus, ut nullus senior de beneficio suorum militum cambium aut precariam aut libellum sine eorum consensu facere praesumat. Illa vero bona, quae tenet proprietario iure aut per praecepta aut per rectum libellum sive per precariam, nemo iniuste eos disvestire audeat.

Fodrum de castellis, quod nostri antecessores habuerunt, habere volumus, illud vero, quod non habuerunt, nullo modo exigimus.

Si quis hanc iussionem infregerit, auri libras centum componat, medietatem camerae nostrae et medietatem illi cui dampnum illatum est.

Signum domni Chuonradi serenissimi Romanorum imperatoris augusti.

Kadolohus cancellarius vice Herimanni archicancellarii recognovi.

Datum 5. kalendas iunii, indictione 5., anno dominicae incarnationis 1037, anno autem domni Chuonradi regis 13 imperatoris 11., actum in obsidione Mediolani feliciter amen.

28. Lehnsgesetz Lothars III vom Reichstag zu Roncaglia 1136 Novbr. 6.

Abgedruckt aus Mon. Germ. hist. LL. Bd. II (1837) S. 84. — Vgl. (Jahrbücher der deutschen Geschichte): W. Bernhardi, Lothar von Supplinburg (Jahrbücher der deutschen Geschichte 1879) S. 659; G. Waitz s. die vorige Nr.

Lotharius divina favente clementia tertius Romanorum imperator pius felix universo populo.

Imperialis benivolentie proprium iudicamus subiectorum commoda investigare et eorum diligenti cura mederi calamitatibus, similiter bonum publicum statum ac dignitatem imperii privatis commodis preponere. Quocirca omnium fidelium nostrorum tam futurorum quam presentium noverit universitas, qualiter dum aput Roncalias secundum antiquorum consuetudinem imperatorum pro iustitia et pace regni componenda sederemus, omnia quae ad honorem imperii spectare videntur sollicite indagantes, pernitiosissimam pestem et rei publice non mediocre detrimentum inferentem resecare proposuimus. Per multas enim interpellationes ad nos factas didicimus, milites beneficia passim distrahere ac ita omnibus exhaustis suorum seniorum servitia subterfugere; per quod vires imperii maxime attenuatas cognovimus, dum proceres nostri milites suos omnibus beneficiis exutos ad felicem nostri nominis expeditionem transducere non valeant. Hortatu itaque atque consilio archiepiscoporum episcoporum ducum marchionum comitum palatinorum ceterorumque nobilium simul et iudicum

hac edictali lege in evum Deo propitio valitura decernimus, nemini licere beneficia, que a suis senioribus habet, absque ipsorum permissu distrahere vel aliquod commertium adversus tenorem nostre constitutionis excogitare, per quod imperii vel dominii minuatur utilitas. Si quis vero contra saluberrima nostre constitutionis precepta ad huiusmodi illicitum commertium accesserit vel aliquid in fraudem legis machinari temptaverit, pretio ac beneficio se cariturum cognoscat. Notarios vero, qui super tali contractu libellum vel aliud instrumentum conscripserint, post ammissionem officii infamie periculum sustinere sancimus.

Data die 6. mensis novembris, indictione 15.

29. Lehnsgesetz Friedrichs I vom Reichstag zu Roncaglia 1158 November.

Abgedruckt aus Mon. Germ. hist. LL. Bd. II (1837) S. 113 f. — Vgl. W. von Giesebrecht, Geschichte der deutschen Kaiserzeit Bd. V (1880) S. 180 f; P. Arras, Die Ronkalischen Beschlüsse vom Jahre 1158 und ihre Durchführung (Diss. Leipzig 1882) S. 17 ff.

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator semper augustus universis nostro subiectis imperio.

Decet imperialem sollertiam ita rei publice curam gerere et subiectorum comoda investigare, ut regni utilitas incorrupta persistat et singulorum status iugiter servetur inlesus. Quapropter dum ex predecessorum nostrorum more universali curia Roncalie pro tribunali sederemus, a principibus Italicis, tam rectoribus ecclesiarum quam aliis fidelibus regni, non modicas accepimus querelas, quod beneficia eorum et feuda, quae vassalli ab eis tenebant, sine dominorum licentia pignori obligaverant vendiderant et quadam collusione nomine libelli vendiderant; unde debita servitia ammittebantur et honor imperii et nostre felicis expeditionis complementum minuebatur. Habito igitur consilio episcoporum ducum marchionum comitum simul etiam palatinorum iudicum et aliorum procerum hac edictali lege Deo propitio perpetuo valitura sancimus:

[1] Ut nulli liceat feudum totum vel partem aliquam vendere vel pignorare vel quoquo modo alienare vel pro anima iudicare sine permissione maioris domini ad quem feudum spectare dignoscitur. Unde imperator Lotharius tantum in futuro cavens, ne fieret, legem promulgavit. Nos autem ad pleniorem regni utilitatem providentes, non solum in posterum sed etiam huiusmodi prius illicitas alienationes hactenus perpetratas hac presenti sanctione cassamus et in irritum deducimus, nullius temporis prescriptione inpediente, emptori bone fidei de pretio actione contra venditorem competente. Callidis insuper quorundam machinationibus obviantes, qui pretio accepto quasi sub colore investiture, quam sibi licere dicunt, feuda vendunt et in alios transferunt, ne

tale figmentum vel aliud ulterius in fraudem huius nostrae constitutionis excogitetur, omnibus modis prohibemus, pena auctoritate nostra inminente, ut venditor et emptor qui tam illicita contraxisse reperti fuerint feudum ammittant et ad dominum libere revertatur; scriba vero, qui super hoc instrumentum sciens conscripserit, post ammissionem officii cum infamie periculo manum ammittat.

[2] Preterea si quis infeudatus maior 14 annis sua incuria vel negligentia per annum et diem steterit quo feudi investituram a suo domino non petierit, transacto hoc spatio feudum ammittat et ad dominum redeat.

[3] Firmiter etiam statuimus tam in Italia quam in Alamannia, ut quicumque indicta publice expeditione a domino suo vocatus ad eandem expeditionem spatio competenti venire temere supersederit vel alium pro se domino acceptabilem mittere contempserit vel dimidium redditus feudi unius anni domino non subministraverit, feudum quod ab episcopo vel ab alio domino habeat ammittat, et dominus feudi in usus suos illud redigendi omnibus modis habeat facultatem.

[4][1]) Preterea ducatus, marchia, comitatus de cetero non dividantur. Aliud autem feudum, si consortes voluerint, dividatur, ita ut omnes, qui partem feudi habent iam divisi vel dividendi, fidelitatem faciant; ita tamen, ut vassallus pro uno feudo plures dominos habere non compellatur, nec dominus feudum sine voluntate vassallorum ad alium transferat.

[5] Insuper si filius vassalli dominum offenderit, pater a domino requisitus deducat filium ad satisfaciendum domino vel a se filium separet, alioquin feudo privetur. Si vero pater vult [eum] deducere, ut filius satisfaciat, et filius contempnit, patre mortuo in feudum non succedat, nisi prius satisfaciat domino; parique modo vassallus pro omnibus suis domesticis faciat.

[6] Illud quoque precipimus, ut si vassallus de feudo suo vassallum alium habuerit et vassallus vassalli dominum domini sui offenderit, nisi pro servitio alterius domini sui hoc fecerit, quem sine fraude ante habuit, feudo suo privetur et ad dominum suum, a quo ipse tenebat, revertatur, nisi prius requisitus ab eo paratus fuerit satisfacere maiori domino quem offendit; et nisi vassallus idemque dominus a suo domino requisitus eum qui maiorem dominum offendit requisierit ut satisfaciat, [feudum] suum ammittat.

[7] Preterea si de feudo inter duos vassallos controversia sit, domini sit cognitio et per eum controversia terminetur. Si vero inter dominum et vassallum lis oriatur, per pares curie a domino sub debito fidelitatis coniuratos terminetur.

[8] Illud quoque sancimus, ut in omni sacramento fidelitatis nominatim imperator excipiatur.

---

1) Vgl. zu diesem wichtigen Artikel H. J. F. Schulze, Das Recht der Erstgeburt (1851) S. 96 ff.

30. Das Bamberger Dienstrecht [1057—1064].

Abgedruckt aus (Monumenta Bambergensia) Bibliotheca rerum Germanicarum edidit Ph. Jaffé V (1869) S. 50—52. — Vgl. über die Ministerialen im allgemeinen G. Waitz, Deutsche Verfassungsgeschichte Bd. V (1874) S. 289 ff., O. v. Zallinger, Ministeriales und Milites (1878).

Notum sit omnibus Christi fidelibus tam posteris quam modernis, qualiter Fridericus rogatu domini sui Guntheri, quinti sanctae Babenbergensis aecclesiae episcopi, alodium quoddam Wuouezesdorf et Haga, quod idem prenominatus episcopus antea per manum advocati sui in manum eiusdem Friderici legaverat, cum omnibus ad ea loca pertinentibus — hoc est quicquid supra dictus episcopus predii inter duos fluvios, videlicet Isiam, quam nos vulgariter Einsam dicimus, et Ibisiam habuerat — ad altare sancti Petri maioris monasterii in Babenberc legavit pro remedio animae eiusdem prenominati episcopi G(untheri) nec non patris et matris.

Legavit etiam ministeriales ad idem predium pertinentes ad supradictum altare sancti Petri in Babenberc; eo deinceps sibi suisque posteris retento iure, quod veri ministeriales habent eiusdem aecclesiae; quod etiam infra subscriptum est.

Haec est iusticia ministerialium Babenbergensium:

[1] „Si quem ex his dominus suus accusaverit de quacumque re, licet illi iuramento se cum suis coaequalibus absolvere; exceptis tribus, hoc est: si in vitam domini sui aut in cameram eius aut in munitiones eius consilium habuisse arguitur. Coeteris vero hominibus de quacumque obiectione absque advocato cum suis coaequalibus iuramento se poterit absolvere; et coeteris hominibus non plus debent quam 7 personas, suis vero sociis 12“.

[2] „Si occisus fuerit, reconpensatio eius 10 librae sunt, quae ad alium non pertinent, nisi ad agnatos occisi“.

[3] „Si beneficium ab episcopo non habuerit et representaverit se in eius ministerio et beneficium non potuerit obtinere, militet cui vult non beneficiarius sed libere“.

[4] „Si absque liberis obierit et uxorem pregnantem habuerit, expectetur dum pariat. Et si masculus fuerit, ille habeat beneficium patris; si non, proximus agnatus defuncti vel loricam suam vel equum, quem meliorem habuerit, domino suo offerat et beneficium cognati sui accipiat“.

[5] „In expeditionem iturus, ex suo sumptu ad dominum veniat; deinceps eius inpensa alatur.“

[6] „Si expeditio est in Italiam, dominus per singulas loricas unum equum det et 3 libras. Si vero aliô, duo ex illis tercio dent inpensas, beneficium habentes“.

[7] „A domino suo non constringantur nisi ad 5 ministeria; hoc est: ut aut dapiferi sint aut pincernae aut cubicularii aut marescalchi aut venatores“.

Legavit etiam prenominatus F(ridericus) aliud predium inter Trunam et Isiam situm, quod item prenominatus episcopus G(untherus) illi per manum advocati sui legaverat, cum utriusque sexus mancipiis ad supradictum altare sancti Petri maioris monasterii in Babenberc pro remedio animae eiusdem G(untheri) episcopi nec non patris et matris eius.

Harum ergo traditionum testes per aurem tracti sunt: palatinus comes Chuono *etc.*

31. Das Gesetz (Hofrecht) Bischof Burchards von Worms [1023—1025].

(Leges et statuta familiae S. Petri Wormatiensis.)

Abgedruckt aus Urkundenbuch der Stadt Worms, hersg. von Heinr. Boos Bd. I (1886), S. 39—45. — Vgl. H. G. Gengler, Das Hofrecht des Bischofs Burchard von Worms (1859); K. H. Roth von Schreckenstein, Die Ritterwürde und der Ritterstand (1886). S. 445 ff.; Karl Koehne, Der Ursprung der Stadtverfassung in Worms, Speier und Mainz (1890), insbes. S. 389 ff.

[Incipit prologus de privilegiis Burchardi Worma*tiensis* ecclesie episcopi.

Decursis venerabilium antistitum temporibus, quibus ecclesiam Worma*tiensem* sibi a deo commissam in undis diversarum procellarum secundum debitum offitii sui pervigili cura gubernabant et eam vel propria largitione vel regum seu imperatorum traditione facultatibus honoribus exuberantem reliquerant, accedendum nobis est ad introitum pii pastoris et tempora Burchardi episcopi, cuius memoria propter prerogativam meritorum apud homines est celebris et in conspectu altissimi immortalis, qui qualiter se in episcopatu habuerit, non est necessarium verbis exponere, cum fama virtutum eius ubique terrarum comprobata sit operum attestatione et, ut pace omnium dicam, licet plures precesserint eum viri mire sanctitatis in sede Wor*matiensi*, respectu eius plantationis et superedificationis ecclesia ista tam in spiritualibus quam in temporalibus erat quasi informis. Hoc testatur clerus et populus paterna dilectione educatus, hoc civitas adornata et adaucta, hoc universus episcopatus rebus et largis possessionibus ditatus, hoc testantur congregationes huius ecclesie, quas ipse permodicas inveniens largitionibus habundanter ampliavit vel ex novo instituit; corpus canonum in unam faciem castorum eloquiorum multo labore collegit; legem specialem familie sancti Petri ut infra videtur dedit et, ut breviter concludam, ecclesiam Wormatiensem in meridiano splendore omnibus bonis lucentem feliciter reliquit, unde XIII kalendas septembris in pace factus est locus eius et apud sanctum Laurentium sepultus.]

[Lex familie Wormatiensis ecclesie.]

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Ego Burchardus

Wormatiensis ecclesiae episcopus propter assiduas lamentationes miserorum et crebras insidias multorum, qui more canino familiam sancti Petri dilacerabant, diversas leges eis imponentes et infirmiores quosque suis iudiciis opprimentes, cum consilio cleri et militum et totius familiae has iussi scribere leges, ne aliquis advocatus aut vicedominus aut ministerialis sive inter eos alia aliqua loquax persona supradictae familiae novi aliquid subinferre posset, sed una eademque lex diviti et pauperi ante oculos prenotata omnibus esset communis.

[1] Si quis ex familia sancti Petri ad sociam suam legitime venerit, quicquid in dotem dederit, et hoc ipsa annum et diem non proclamatum possidet, si vir prior moritur, uxor eius totam habeat dotem usque ad finem vitae suae; si autem ipsa moritur sine filiis, proximi heredes mariti sui dotem recipient; similiter fiat, si uxor prior moriatur; et quicquid simul acquisierant, si quis eorum alterum supervixerit, totum habeat in sua potestate et quicquid inde facere velit, faciat. Quod autem mulier secum ad maritum attulerat, ambobus mortuis, si filios habuerint, ipsi matris haereditatem possideant; si autem filios non habuerint, nisi ipsa traditione prepediatur, post vitam eius totum ad proximos mulieris redeat, et si filios simul genuerint et mater prior obierit, si quid haereditatis ex matre filiis devenerat et ipsi obierint, haereditas ad proximos matris redeat.

[2] Lex erit familiae, si quis praedium vel mancipia in haereditatem acceperit et in paupertatem inciderit et ex hac necessitate haereditatem vendere voluerit, prius proximis haeredibus suis cum testimonio proponat ad emendum; si autem emere noluerint, vendat socio suo cui voluerit. Si autem aliquis mansus in manum episcopi iudicio iudicum pervenerit et si haeredum aliquis supersessum ius emendare voluerit, detur sibi potestas, ut tali conditione haereditatem accipiat. Si autem nullus haeredum satis facere voluerit, illius loci minister, cuicumque ex familia mansum illum dederit, hic postea haeres firmus fuerit; si autem aliquis venerit post duos annos aut post tres aut plures et dicit: „ego sum haeres, pauper eram, orphanus eram, non habui qui me pasceret, ideo extra patriam ivi et ibi usque modo me meo labore conduxi“, et vult cum solo testimonio illum, qui iussione episcopi haeres effectus est et quia suum mansum bene excultum et fimatum habet, expellere, constituimus, quia prius nullus heredum erat, qui supersessum ius emendare voluisset, ille firmus haeres sit, qui a ministeriali haeres effectus est; si haeres erat, cur aufugerat, cur domi non sederat ut haereditatem suam custodiret? volumus, ut nulla vox eius de hoc amplius audiatur, nisi iusta atque rationabilis causa ibi intelligatur. Si autem aliquis, qui haereditalem mansum habet, moritur et parvulum haeredem reliquerit, et ille haeres non potest debitum servitium persolvere, si est aliquis proximior, qui velit debitum servitium de praedicto manso facere, quousque haeres ille ad suos dies pervenerit, ne propter

teneritatem haeredis exhaeredetur haeres, concedimus et constituimus, et ut misericorditer de eo agatur rogamus.

[3] Si quis in dominicata nostra haereditatem habens moritur, haeres sine oblatione haereditatem accipiat et postea debitam servitutem inde provideat.

[4] Si quis ex familia moritur, quicquid indotatum reliquerit, nisi traditione prepediatur, proximi haeredes possideant.

[5] Si quis manu coniugis suae cum testimonio bono aliquam traditionem sive in dote sive in aliis quibuslibet rebus fecerit, hoc firmum erit, nisi alia res prepediat.

[6] Si quis praedium vel haereditatem suam infra familiam vendiderit et aliquis haeredum suorum praesens fuerit et nihil contradixerit, vel si absens aliquis haeredum est, postea resciverit, et si infra spatium illius anni hoc reticuerit, postea iure carebit.

[7] Lex erit familiae, si quis ex aliquo commisso in manus episcopi cum iudicio sociorum suorum pervenerit, ipse cum omnibus suis possessionibus eo diiudicetur.

[8] Si quis cum aliis quos secum adduxerit alicui ex societate sua aliquid iniustitiae fecerit, ius erit familiae, ut se tantum et suos viros una satisfactione reconciliet et unusquisque aliorum semetipsum propria satisfactione reconciliet.

[9] Jus erit familiae, ut de weregeldo fisgilini hominis quinque librae ad cameram reddantur et duae librae et dimidia amicis eius contingant.

[10] Jus erit, si ex familia vir aliquis et uxor eius obierint et filium cum filia reliquerint, filius haereditatem servilis terrae accipiat, filia autem vestimenta matris et operatam pecuniam accipiat; reliqua quae remanserint in omnibus aequaliter inter se partiantur.

[11] Haec etiam lex erit familiae, si quis praedium vel mancipia in haereditatem acceperit et in lectum aegritudinis ita inciderit, ut equitare aut per se ambulare non possit, praedium suum vel mancipia haeredibus suis alienare non possit, nisi pro anima sua aliquid inde dare libuerit; alium suum questum det cuicumque libeat.

[12] Ut in omnibus locis ubicunque fieri possit declinentur periuria, qualiscunque sit ex familia, qui cum socio suo sive in agro sive in vineis sive in illis levioribus rebus aliquid iniuste fecerit, et se ad magistrum loci proclamaverit, volumus, ut illius loci minister cum subiectis concivibus suis sine iuramento hoc determinet.

[13] Et hoc est constitutum, ut si quis fisgilinus homo ex familia rem aliquam magnam vel parvam ad iniustitiam patraverit, ad bannum episcopi quinque solidis ut dagewardus vadetur et quinque solidos componat ei cui iniquitas facta est, si de eadem societate est; et si extra suam societatem est, una uncia vadetur et nihil iuret.

[14] Et si quis nupserit ex dominicata episcopi in beneficium

alicuius suorum, iuris sui respondeat ad dominicatam episcopi; si autem ex beneficio in dominicatam episcopi nupserit, iuris sui respondeat domino beneficii.

[15] Si quis ex familia alienam uxorem acceperit, iustum est, ut quando obierit, duae partes bonorum suorum assumantur ad manum episcopi.

[16] Jus erit, si fisgilinus homo dagowardam acceperit, ut filii qui inde nascantur secundum peiorem manum iurent; similiter si dagowardus fisgilinam mulierem acceperit.

[17] Jus erit familiae, si quis in placito iniustum clamorem fecerit aut iratus de sua sede recesserit vel in tempore ad placitum non venerit et in hoc a consedentibus superatus non fuerit, nichil iuret, sed in testimonio scabinorum sit.

[18] Lex erit familiae, ut unusquisque cum socio suo iuret cum una manu, si propter faidam erit, cum VII et episcopo similiter.

[19] Habuerunt et hoc in consuetudine, si quis alteri pecuniam suam praestiterat, redderet quantum voluisset, et quod noluisset cum iuramento negaret. Sed ut declinentur periuria, constituimus, si ille qui pecuniam suam praestiterat, iuramentum eius pati noluerit, ipse contra eum duello pugnaturus negatam pecuniam acquirat, si voluerit; si autem tam digna persona est, qui pugnare cum eo pro tanta re dedignetur, vicarium suum ponat.

[20] Si quis in civitate Wormatia duello convictus ceciderit, sexaginta solidis vadetur, extra civitatem vero infra familiam, si in duello occubuerit, illi, quem impugnaverit, pro pugna iniuste illata suam iustitiam tripliciter componat, bannum episcopo persolvat, advocato XX solidos tribuat, aut cutem et capillos amittat.

[21] Si quis ex familia sancti Petri praedium vel mancipia a libero homine comparaverit vel aliquo modo acquisiverit, extra familiam, neque cum advocato neque sine advocato, nisi commutet, dare non liceat.

[22] Si quis fiscali viro iustitiam suam infringere voluerit, id est ad dagowardum vel ad censum iniustum, fiscalis vir cum septem proximis suis non mercede conductis, iustitiam sibi innatam obtineat; et si ex patris parte vituperetur, ex eadem parte duae cognatorum suorum et tertia ex matre assumatur; similiter erit ex parte matris nisi cum iudicio scabinorum aut proximorum testimoniis superari possit.

[23] Lex erit familiae, si quis domum alterius cum armata manu introierit et filiam eius vi rapuerit, cuncta vestimenta, quibus tunc induta fuerat quando rapta est, singulariter in triplum patri eius vel mundiburdo restituat, et per singulas vestimentorum partes bannum episcopo componat; postremum ipsam triplici sua satisfactione cum banno episcopi patri repraesentet; et quia legitime eam secundum canonica praecepta habere nequiverit, amicis illius XII scuta et totidem lanceas et unam libram denariorum pro reconciliatione persolvat.

[24] Et hoc constituimus, si quis debitum alicuius rei coram ministro confitetur et minister in illa die locum non habeat diffinire et hic qui debitum in priori die confessus est alia die negare voluerit, minister si testimonium pristinae confessionis habet, ut aequum est, de se faciat sicut antea debuisset.

[25] Et hoc lex erit, si quis de aliqua re ministeriali confitetur et hoc ad placitum differtur, sicut tunc in placito confessus fuerit, iudicetur, si minister eum cum testimonio de priori confessione ibi convincere non potuerit.

[26] Lex erit concivibus, ut si quis in civitate haereditalem aream habuerit, ad manus episcopi diiudicari non poterit, nisi tres annos censum et aliam suam iustitiam inde supersederit, et post hos tres annos ad tria legitima placita invitetur, et si supersessum ius pleniter emendare voluerit, ipse eam sicut antea possideat; et si domum in civitate vendiderit, aream perdat.

[27] Et lex erit, ut si quis in civitate aliquem ita percusserit, ut ad terram decidat, ad bannum episcopi LX solidos componat; si autem cum pugno aut aliquo levi flagello, quod bluathram vocant, aliquem percusserit et non deciderit, V solidos tantum componat.

[28] Lex erit, si quis in civitate ad aliquem occidendum gladium suum evaginaverit aut arcum tetenderit et sagittam nervo imposuerit vel lanceam suam ad feriendum protenderit, LX solidos componat.

[29] Lex erit, si episcopus fiscalem hominem ad servitium suum assumere voluerit, ut ad aliud servitium eum ponere non debeat, nisi ad camerarium aut ad pincernam vel ad infertorem vel ad agasonem vel ad ministerialem; et si tale servitium facere noluerit, quatuor denarios persolvat ad regale servitium et VI ad expeditionem et tria iniussa placita quaerat in anno et serviat cuicumque voluerit.

[30] Propter homicidia autem, quae quasi cottidie fiebant infra familiam sancti Petri more belluino, quia saepe pro nichilo aut per ebrietatem aut per superbiam alter in alterum insana mente ita insaeviebat, ut in curriculo unius anni XXXV servi sancti Petri sine culpa ex servis eiusdem ecclesiae sint interempti, et ipsi interfectores magis inde gloriati sunt et elati, quam aliquid penitudinis praebuissent; proinde ob illud maximum detrimentum nostrae ecclesiae cum consilio nostrorum fidelium hanc correctionem fieri decrevimus, ut si quis ex familia consocio suo sine necessitate id est sine tali necessitate, si se ipsum interficere voluerit, aut si latro erat, se et sua defendendo, sed sine istis supradictis robus interfecerit, constituimus, ut ei tollantur corium et capilli et in utraque maxilla ferro ad hoc facto comburatur et weregeldum reddat et cum proximis occisi more solito pacem faciat et ad hoc constringantur proximi ut accipiant; proximi autem occisi, si persequi voluerint proximos occisoris, si quis illorum proximorum consilii et facti iuramento sese expurgare potuerit, a proximis

interfecti firmam et perpetuam pacem habeat; si autem proximi occisi istud constitutum contempnere volunt et supradictis insidias parant, tamen nichil nocent nisi quod insidiantur, corium et capillos amittant sine combustione. Si autem aliquem illorum interfecerint sive vulneraverint per contemptum, corium et capillos amittant et supradictam combustionem patiantur. Si autem occisor aufugerit et capi non potest, quicquid habet ad fiscum redigatur, et proximi eius, si inculpabiles sunt, firmam pacem habeant; si autem homicida non aufugerit, sed cum proximo occisi suam innocentiam per duellum defendere voluerit et vicerit, weregeldum reddat et cum proximis pacem faciat; si autem nullus occisi proximorum cum occisore pugnare voluerit, ipse se bullienti aqua adversus episcopum expurget et weregeldum reddat et pacem cum proximis faciat et ipsi cogantur, ut accipiant. Si autem propter timorem istius constitutionis vadunt ad alienam familiam et incendunt eam contra proprios consocios, et si non est aliquis, qui contra aliquem illorum duello pugnare audeat, singuli bullienti aqua adversus episcopum se expurgent, et si quis victus fuerit, ea patiatur, quae supra scripta sunt. Si quis autem ex familia in civitate sine supradictis necessitatibus aliquem ex familia interfecerit, corium et capillos perdat et combustionem supra scripto more patiatur et bannum persolvat et weregeldum reddat et pacem cum proximis faciat et illi constringantur ut accipiant. Si autem aliquis de aliena familia terram sancti Petri colet et tale praesumptum fecerit, id est, si aliquem ex nostra familia sine necessitate iam supra scripta interfecerit, aut ista supra memorata patiatur aut nostram *gratiam* perdat et familiae et advocati insidias habeat. Si autem noster servitor qui in nostra curte est aut noster ministerialis talia audet praesumere, volumus, ut hoc sit in nostra potestate et consilio nostrorum fidelium, qualiter talis praesumptio vindicetur.

[31] Si quis ex familia contenderit cum socio suo de una qualibet re sive de agris sive de vineis sive de mancipiis sive de pecunia, si potest ex utraque parte cum testimoniis utrorumque sine iuramento discerni, laudamus, sin autem, ut devitentur periuria, volumus, ut ex utraque parte ostendantur illorum testimonia, et ita collaudent testes, quasi gratum habeant, et ex supradictis duobus testimoniis duo eligantur ad pugnam et cum duello litem decernant, et cuius campio cecciderit, perdat, et eius testimonium talia patiatur propter falsum testimonium, quasi iuratum haberet.

[32] Si quis ex familia furtum fecerit, et hoc non pro necessitate famis sed propter avaritiam et cupiditatem et propter consuetudinem fecit, et quod furatus est si V solidis appreciari potest et superari potest, quod aut in macello publico aut in conventu concivium debitori vadiatus sit supra dictum furtum; ad correptionem malorum constituimus, ut legem sibi innatam propter furtum perditam habeat, et si ab aliquo de aliqua re inculpatus fuerit, non se expurget iuramento, sed aut duello aut bullienti

aqua aut ferventi ferro. Similiter faciat ille, qui in periurio publico captus est, similiter et ille, qui in falso testimonio captus est; similiter et ille, qui propter infamiam furti in duello ceciderit; similiter et ille, qui contra seniorem suum episcopum videlicet cum suis inimicis consiliatus est sive contra eius honorem sive contra eius salutem.

32. Das Kölner Dienstrecht [c. 1154].

Abgedruckt aus F. Frensdorff, Das Recht der Dienstmannen des Erzbischofs von Köln S. 4—10 in: Mittheilungen aus dem Stadtarchiv von Köln 2. Heft [Bd. I] (1883) S. 1—69.

In nomine sancte et individue trinitatis. Hec sunt jura ministerialium sancti Petri in Colonia ab antiquo ordinata et statuta, servata et servanda:

[1] Ministeriales beati Petri domino suo archiepiscopo fidelitatem sine aliqua exceptione facient et eam ei contra omnem hominem servabunt.

[2] Si aliquis hominum terram Coloniensem et terminos episcopatus invadere voluerit, universi ministeriales beati Petri tam beneficiati quam non beneficiati ad defendendam terram domino suo archiepiscopo assistere et usque ad terminos episcopatus eum cum armis sequi debent; si autem archiepiscopus ultra procedere voluerit, ipsi eum longius sequi non tenentur, nisi hoc de voluntate sua faciant aut dominus eorum apud eos hoc promereatur. Si autem redditus archiepiscopi, ubicumque extra terminos episcopatus siti sunt, ab aliquo violenter invasi fuerint, ipsi ad hanc violentiam reprimendam dominum suum illuc sequi debent.

[3] Item si archiepiscopus alicui ministerialium suorum quacumque occasione offensus fuerit, ita quod gratiam suam ei denegat et bonis suis eum exheredat, ille ministerialis nobiles terre et eos precipue qui summi officiales curie vocantur precibus et obsequio invitare debet, quatinus ipsi apud dominum suum pro recuperanda gratia ejus intercedant. Quodsi ipse infra annum eam recuperare non valuerit, expleto anno ad alium dominum se transferre poterit, ut illi serviat, ita tamen ut nec rapinas nec incendia contra dominum suum archiepiscopum exerceat. Si autem archiepiscopus eum non exheredat, sed tantummodo gratiam suam ei denegat, ipse post predictum annum expletum servitium suum domino suo archiepiscopo subtrahere potest, donec gratiam suam recuperet.

[4] Item ministeriales beati Petri ad coronationem imperatoris cum domino suo archiepiscopo ultra Alpes in expeditionem ire tenentur, illi specialiter qui 5 marcas vel amplius in reditibus de eo tenent, preter solum advocatum Coloniensem et camerarium. Hii siquidem duo domi manere debent, advocatus ut reditus curtium episcopalium colligat et conservet, camerarius reditus telonii

et monete. Reliqui vero omnes, qui 5 marcis vel amplius beneficiati sunt, si archiepiscopus voluerit, sine omni occasione ad hanc expeditionem ibunt, et archiepiscopus cuilibet eorum 10 marcas ad se preparandum dabit et 40 ulnas panni, qui schorlot dicitur, ut servos suos inde vestiat, et duobus militibus soumarium unum cum sella et cum omnibus pertinentibus ad sellam et duas bulgas cum tegmine quod dekhut dicitur et 4 ferramenta equi cum 24 clavis. Cum ad Alpes ventum fuerit, debet cuilibet militi deinceps per mensem marca una de camera archiepiscopi dari pro expensa sua; hec marca quandocumque et cuicumque tempore debito denegata fuerit, ille miles officialibus curie hoc notificabit et per eos si potest hunc defectum stipendii sui recuperabit; si vero per eos recuperare non valuerit, baculum excorticatum super lectum domini sui cum testimonio domesticorum suorum circa noctem deponet, nec baculum illum aliquis ammovebit, donec archiepiscopus dormitum vadens eum illic repperiat. Si archiepiscopus quesierit quis hoc fecerit et miles ille stipendium suum per hoc recuperaverit, ipse cum domino suo procedat; sin autem idem miles in mane ad dominum suum veniet et flexis coram eo genibus cum testimonio duorum domesticorum suorum horam pallii sui deosculabitur et sic licite repatriabit, quod nec juris nec honoris sui nec rerum detrimentum exinde patietur. Si autem archiepiscopus iratus pallium deosculari eum passus non fuerit, ipse testimonium illorum duorum domesticorum suorum super hoc invocabit et sic similiter licite recedet. Illi autem qui minus quam 5 marcas de archiepiscopo tenent, si voluerint, in expeditionem istam non ibunt, sed quilibet eorum hersturam scilicet medietatem redituum feodi sui dabit. Hiis autem omnibus tam cum 5 marcis quam infra vel supra beneficiatis archiepiscopus hanc expeditionem ante annum et diem denuntiabit.

[5] Item omnium ministerialium beati Petri nullus sententiam archiepiscopo dicet preter solum advocatum Coloniensem, si presens fuerit; et si presens non fuerit, sententiam dicet alius ministerialis beati Petri, de quo archiepiscopus eam requisierit.

[6] Item advocatus Coloniensis has 12 curtes: Elvervelde Helden Zunze Nyle Duze Merreche Pinnistorp Lunreche Dekstein Blatsheim Merzenich Rudinsheim in sua habebit potestate et procuratione, ut villicos in eis ponat et deponat, prout domino suo expedire viderit; et quia Merzenich et Růdinsheim a reditibus episcopalibus alienate sunt et dominis aliis in beneficio concesse, ideo Burche et Bardenbarch advocato pro eis sunt deputate. Reliquas curtes omnes episcopales ipse dominus archiepiscopus in sua tenebit potestate, ut de villicis pro sua voluntate in eis ordinet et disponat.

[7] Item nullus ministerialium beati Petri cum altero ministeriali sancti Petri monomachiam inire potest, quicquid unus adversus alium fecerit. Quod si unus alterum pro libitu suo et sine justicia occiderit, proximi illius occisi querimoniam coram

domino suo archiepiscopo de occisore deponent, et si occisor factum confessus fuerit, ipse in potestatem domini sui judicabitur; si autem factum negaverit, archiepiscopus testimonio 7 condomesticorum suorum, qui nec occisi nec occisoris cognati sint, eum de homicidio convincet, convictus in potestatem domini sui judicabitur. Postquam in potestatem domini sui judicatus est, sequetur dominum suum omni tempore, quocumque dominus ierit, cum tribus equitaturis et duobus servis, ita quod nullo tempore se conspectui domini sui sponte ostendat, nisi forte inscienter vel in via, ubi dominus exinopinato per viam quam venit subito revertitur. Victualia et pabulum sibi et duobus servis curia ei providebit. Sic autem dominum suum continue sequetur, ut semper apud priores Colonienses et dominos terre et apud omnes quos potest studiose laboret pro recuperanda gratia domini sui et ut inimicis suis de morte occisi reconcilietur. Quod si hoc infra annum et diem obtinere non valuerit, tunc advocatus Coloniensis et camerarius pariter recludent eum in camera que proxima est capelle beati Thome sub palatio archiepiscopi, ideo proxima capelle ut per fenestram in capellam intrantem singulis diebus divinum officium audire possit. Sic autem recludetur: filum stamineum de poste ad postem per medium hostii tendetur et in utroque fine sigillum cereum appendetur, et quando sol in mane ortus fuerit, hostium camere aperietur et usque ad occasum solis apertum stabit. Toto die sub protectione et pace archiepiscopi securus ab hostibus suis manebit. Post occasum vero solis hostium suum ita ab intus firmet, ut ab hostibus suis illesus et indempnis maneat. In hac camera ipse propriis expensis sustentabitur, ita quod curia nichil ei providere debet. Numquam etiam omnibus diebus vite sue inde egredietur, nisi prius recuperata gratia domini sui et amicitia inimicorum suorum, quos de morte occisi sibi comparavit. Archiepiscopus tamen numquam eum in gratiam suam resumet, nisi prius cum amicis occisi composuerit. Numquam siquidem prout dictum est inde egredietur nisi certis temporibus anni, scilicet in nativitate Domini, in pascha et in festo sancti Petri; habet etenim licentiam egrediendi in natali Domini per tres dies, in pascha per tres dies, in sollempnitate beati Petri, quando synodus episcopalis celebratur, per tres dies, ut tunc universos priores ecclesie et dominos terre ac omnes amicos et condomesticos suos moneat et roget, quatinus pro eo intercedant, et post hoc triduum statim in cameram suam non inpetrata gratia revertetur et sicut prius illic inclusus permanebit. Quod si alio modo egressus fuerit, penitus totius juris sui tam sinodalis quam secularis expers efficitur et ab omni honore et christianitate sua destituitur; et si postmodum in ecclesia vel in sanctuario vel in urbe vel extra urbem vel sub pacis tempore vel extra pacem sive quocumque loco quocumque tempore fugatus captus occisus fuerit, illud omni vindicta carebit et mortuus in cimiterio non sepelietur. Quamdiu autem in camera perseveraverit, per totum diem amici

et cognati et noti sui ad eum licito ingredi et egredi poterunt et loqui et esse cum eo, ita tamen ut ingredientes et egredientes filum et sigilla neque rumpant neque ledant; uxor quoque sua poterit ad eum ingredi et manere cum eo, si tamen prolem de ea intus genuerit, proles illa legitima non erit et secularis juris expers manebit.

[8] Item si ministerialis beati Petri ministerialem imperii ad monomachiam coram archiepiscopo vocaverit, infra 15 dies illos quando pugnaturi sunt, archiepiscopus utrumque eorum ad imperatorem transmittet, ut coram eo pugnent et ministerialis beati Petri illic justiciam suam prosequatur; versa vice imperator faciet, si ministerialis imperii ministerialem beati Petri coram se ad pugnam traxerit, ipse ambos ad archiepiscopum transmittet, ut archiepiscopus inde judicet. Et quia hoc modo imperator ministeriales beati Petri non judicat, sed eos ad dominum ipsorum remittit, evidens est et manifestum, quod nobiles terre Coloniensis, qui jurisdictionem in locis et terminis suis habent, nulla ratione habeant judicare ministeriales beati Petri de allodiis et de capitibus suis. Sed si aliquid contra eos habuerint quod vel personas vel allodia eorum tangat, coram domino suo archiepiscopo querimoniam de eis proponant et justiciam suam ibi prosequantur.

[9] Item nullus archidiaconus, nullus decanus, nullus ecclesiasticus ministeriales beati Petri jure synodali citabit vel excommunicabit super aliqua re, quam aliquis eorum in persona propria commiserit, nisi forte decimas vel res ecclesiarum injuste invaserint vel sibi usurpaverint. Si hoc fecerint, coram archidiacono vel decano vel ecclesiastico de injuria respondeant, in cujus terminis eam commiserunt. Alio modo si dignum correctione aliquis eorum quicquam egerit, cappellarius archiepiscopi hoc de eis emendabit. Qui cappellarius proximo die post festum sancti Petri synodum suam celebrabit in veteri domo archiepiscopi ante capellam beati Johannis et in lapidea cathedra ibidem sita ipse residebit, eruntque presentes illic beati Petri ministeriales omnes, ut de excessibus suis quos personaliter commiserint cappellario tamquam patri suo spirituali respondeant.

[10] Item singuli et omnes ministeriales ad certa officia curie nati et deputati sunt. Officia 5 sunt, in hiis officiis servire debent solummodo ministeriales beati Petri et specialiter illi qui inter eos seniores inveniuntur. Illi autem servient hoc modo: quilibet eorum per 6 ebdomadas continuas serviet in suo officio ad quod natus est; finitis his 6 ebdomatibus ipsi cum licentia domini sui domum ad propria redibunt et alii loco illorum prout ordo expetit succedent. Quicumque autem licentiam domum redeundi quesierit, sic eam queret: veniet in presentiam domini sui et ibi dicet 6 septimanas suas expletas esse et licentiam domum revertendi postulabit; que si ei a domino denegata fuerit, osculabitur horam clamidis ejus et sic recedet nec in hoc offendisse debet dominum suum. Si autem dominus nullatenus eo carere

voluerit et benignitas domini illum ad manendum induxerit, dominus eum in curia sua honeste in quocumque servitio sibi placuerit retinebit, neque tamen ei deserviet in aliquo horum 5 officiorum, donec iterum terminus suus 6 septimanarum per ordinem eum contingat.

[11] Item in tribus sollempnitatibus anni scilicet in nativitate Domini, in pascha, in festo sancti Petri archiepiscopus 30 milites de familia sua de novo vestire debet; vestes tales erunt: in nativitate Domini, quia frigus est, dabit ipse cuilibet eorum pennam griseam gulatam cum merdrino limbo et circumductam lato corio et sculpto quod erg dicitur et pellicium griseum cum latis rubeis gulis et amplis manicis; in pascha et in festo sancti Petri, quia tunc calor est, cuilibet pennam variam et pellicium varium. Quod si vestes dare noluerit, 6 marcas cuilibet pro vestibus dabit. Has autem vestes illi 5 officiales, qui tunc temporis per septimanas suas serviunt, certo loco accipient; reliqua 25 paria dominus pro voluntate sua reliquis militibus de familia sua distribuet.

[12] Item quicumque ministerialis beati Petri filios habuerit, mortuo patre senior filius beneficium patris recipiet et jus serviendi in curia archiepiscopi in suo officio, ad quod natus est, obtinebit. Quicumque frater suus miles fuerit nec adeo dives quin servire eum oporteat, ille cum dextrario suo, clippeo et lancea in curiam archiepiscopi ante porticum beati Petri veniet et, si servo caruerit, ad lapidem descendat qui perforatus illic jacet; tunc habenas freni sui circa foramen lapidis deponet et lanceam per medium in foramen defiget et clippeum appodiabit, et hec omnia sine custode salva erunt et pacem ex parte archiepiscopi usque ad reditum suum habebunt. Deinde ecclesiam beati Petri ad orandum intrabit et facta oratione ecclesiam egrediens domum archiepiscopi ascendet ibique coram domino suo stans se militem esse et ministerialem beati Petri profitebitur atque fidelitatem et servitium suum domino suo offeret, et si dominus eum in curiam et familiam suam tunc receperit ac postmodum ille per integrum annum domino suo laudabiliter servierit, dominus pro gratia et beneplacito suo eum inbeneficiare tenetur et ille ei in posterum serviet. Si autem dominus eum neque curaverit nec in familiam suam eum receperit, ille flexis genibus cum testimonio astantium horam pallii sui deosculabitur et ad dextrarium suum regredietur et eo ascenso quocumque voluerit eat et cuicumque voluerit serviat. Si postmodum alicui domino servierit et dominus ille gerram contra archiepiscopum conceperit, miles ille si voluerit ab hoc domino propter dominum suum archiepiscopum non recedet. Si etiam archiepiscopus illius domini castrum obsederit et miles iste in hoc castro inventus fuerit, propter presentiam domini sui archiepiscopi non dimittet, quin illi domino serviat et castrum ejus sicut melius potest defendat, ita tamen quod nec rapinas nec incendia contra dominum suum archiepiscopum agat.

IV.

Heerwesen.

33a. Kapitulare Karls des Grossen nach dem Jahre 805.

Abgedruckt aus Mon. Germ. hist. (Quartserie) Legum sectio II Capitularia regum Franc. Bd. I (1881) S. 137 f. — Vgl. G. Waitz, Deutsche Verfassungsgesch. 2. Aufl. Bd. IV (1885) S. 567 ff.; A. Prenzel, Beiträge zur Geschichte der Kriegsverfassung unter den Karolingern (Diss. Leipzig 1887).

Brevis capitulorum quam missi dominici habere debent ad exercitum promovendum.

1. Ut omnis liber homo, qui quatuor mansos vestitos de proprio suo sive de alicuius beneficio habet, ipse se praeparet et per se in hostem pergat sive cum seniore suo, si senior eius perrexerit, sive cum comite suo. Qui vero tres mansos de proprio habuerit, huic adiungatur qui unum mansum habeat et det illi adiutorium, ut ille pro ambobus possit. Qui autem duos habet de proprio tantum, iungatur illi alter qui similiter duos mansos habeat, et unus ex eis altero illum adiuvante pergat in hostem. Qui etiam tantum unum mansum de proprio habet, adiungantur ei tres qui similiter habeant et dent ei adiutorium, et ille pergat tantum; tres vero, qui illi adiutorium dederunt, domi remaneant.

2. Volumus atque iubemus, ut idem missi nostri diligenter inquirant, qui anno praeterito de hoste bannito remansissent super illam ordinationem, quam modo superius comprehenso de liberis et pauperioribus hominibus fieri iussimus; et quicumque fuerit inventus, qui nec parem suum ad hostem suum faciendum secundum nostram iussionem adiuvit neque perrexit, haribannum nostrum pleniter rewadiet et de solvendo illo secundum legem fidem faciat.

3. Quod si forte talis homo inventus fuerit, qui dicat, quod iussione comitis vel vicarii aut centenarii sui hoc, quo ipse semetipsum praeparare debeat, eidem comiti vel vicario aut centenario vel quibuslibet hominibus eorum dedisset et propter hoc illud demisisset iter et missi nostri hoc ita verum esse investigare potuerint, is per cuius iussionem ille remansit bannum nostrum rewadiet atque persolvat, sive sit comes sive vicarius sive advocatus episcopi atque abbatis.

4. De hominibus comitum casatis isti sunt excipiendi et bannum rewadiare non iubeantur: duo, qui dimissi fuerunt cum uxore illius et alii duo, qui propter ministerium eius custodiendum

et servitium nostrum faciendum remanere iussi sunt. In qua causa modo praecipimus, ut quanta ministeria unusquisque comes habuerit, totiens duos homines ad ea custodienda domi dimittat praeter illos duos, quos cum uxore sua; ceteros vero omnes secum pleniter habeat vel, si ipse domi remanserit, cum illo, qui pro eo in hostem proficiscitur dirigat. Episcopus vero vel abbas duo tantum de casatis et laicis hominibus suis domi dimittant.

5. De hominibus nostris et episcoporum et abbatum, qui vel beneficia vel talia propria habent, ut ex eis secundum iussionem in hostem bene possunt pergere exceptis his, quos eis secum domi remanere permisimus, si aliqui inventi fuerint, qui vel pretio se redemissent vel dominis suis permittentibus domi remansissent, bannum nostrum sicut superius dictum est *rewadient* et fidem faciant, *ut* persolvant. Domini vero eorum, qui eos domi remanere permiserint, vel ministeriales eorum, qui ab eis precium acceperunt, similiter bannum nostrum rewadient et fidem faciant, usque dum nobis nuntiatum fuerit.

6. Volumus, ut missi nostri diligenter inquirant, in quibus locis hoc factum sit, quod ad nos pervenit, quod quidam homines, postquam secundum nostram iussionem sociis suis, qui in hostem perrexerunt, de stipendia sua adiutorium fecerunt, iubente comite vel ministerialibus eius propter se redimendum pretium dederunt, ut eis domi remanere licuisset, cum illi in hostem ire non deberent, quia iam sociis suis constitutum a nobis adiutorium dederunt; hoc fiat investigatum et nobis nuntiatum.

7. Volumus, ut isti missi nostri, qui hac legatione fungi debent, ab his hominibus coniectum accipiant, qui in hostem pergere debuerunt et non perrexerunt; similiter et a comite vel vicario vel centenario, qui ad hoc consenserunt, ut domi remansissent, necnon et ab omnibus praedictum coniectum accipiant, qui anno praeterito constitutam a nobis exercitalis itineris iussionem irritam fecerunt.

8. Istius capitularii exemplaria quatuor volumus ut scribantur: et unum habeant missi nostri, alterum comes, in cuius ministeriis haec facienda sunt, ut aliter non faciant neque missus noster neque comes nisi sicut a nobis capitulis ordinatum est; tertium habeant missi nostri, qui super exercitum nostrum constituendi sunt; quartum habeat cancellarius noster.

9. Volumus, ut homines fidelium nostrorum, quos nobiscum vel ad servitium nostrum domi remanere iussimus, in exercitum ire non compellantur, sed et ipsi domi remaneant vel in servitio dominorum suorum. Neque haribannum rewadiare iubeantur illi homines, qui anno praeterito nobiscum fuerunt.

33b. Aufgebotsschreiben Karls des Grossen (an Abt Fulrad) nach 805.

Abgedruckt aus Mon. Germ. l. c. S. 168. — Vgl. über die Datierung Wippermann, Der Aufgebotsbrief Karls des Grossen an Abt Fulrad (Prgr. Attendorn 1886); über die Ausrüstungsgegenstände s. Prenzel l. c. S. 48 ff.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Carolus serenissimus augustus a Deo coronatus, magnus pacificus imperator, qui et per misericordiam Dei rex Francorum et Longobardorum, Fulrado abbati.

Notum sit tibi, quia placitum nostrum generale anno presenti condictum habemus infra Saxoniam in orientali parte super fluvium Bota in loco, que dicitur Starasfurt. Quapropter precipimus tibi, ut pleniter cum hominibus tuis bene armatis ac preparatis ad predictum locum venire debeas 15. kal. iul., quod est septem diebus ante missam sancti Iohannis baptiste. Ita vero preparatus cum hominibus tuis ad predictum locum venies, ut inde, in quamcumque partem nostra fuerit iussio, et exercitaliter ire possis; id est cum armis atque utensilibus necnon et cetero instrumento bellico, in victualibus et vestimentis: ita ut unusquisque cabalarius habeat scutum et lanceam et spatam et semispatum, arcum et pharetras cum sagittis; et in carris vestris utensilia diversi generis, id est cuniada et dolaturia tarratros assias fosorios palas ferreas et cetera utensilia, que in hostem sunt necessaria. Utensilia vero ciborum in carris de illo placito in futurum ad tres menses, arma et vestimenta ad dimidium annum. Et hoc omnino precipimus, ut observare facietis, ut cum bona pace pergatis ad locum predictum, per quamcumque partem regni nostri itineris vestri rectitudo vos ire fecerit, hoc est ut preter herbam et ligna et aquam nichil de ceteris rebus tangere presumatis; et uniuscuiusque vestri homines una cum carris et caballariis suis vadant et semper cum eis sit usque ad locum predictum, qualiter absencia domini locum non det hominibus eius mala faciendi.

Dona vero tua, quae ad placitum nostrum nobis presentare debes, nobis medio mense maio transmitte ad locum, ubicumque tunc fuerimus; si forte rectitudo itineris tui ita se conparet, ut nobis per te ipsum in profectione tua ea presentare possis, hoc magis optamus. Vide, ut nullam negligentiam exinde habeas, sicut gratiam nostram velis habere.

34. Anschlag für einen Romzug aus der Zeit Ottos II.

Abgedruckt aus Bibliotheca rerum Germanicarum ed. Ph. Jaffé, V. Bd. (Monumenta Bambergensia 1869), S. 471 f. — Vgl. G. Waitz, Deutsche Verfassungsgeschichte VIII. Bd. (1878), S. 133. ff. und 177; Karl Spannagel, Zur Geschichte des deutschen Heerwesens vom Beginn des zehnten bis zum Ausgang des zwölften Jahrhunderts (Diss. Leipzig 1885).

Herkenbaldus episcopus centum loricatos mittat. Abbas de

Morebach secum ducat 20. Episcopus Balzzo mittat 20. Ildebaldus episcopus ducat 40. Abbas de Wizenburg mittat 50. Abbas de Lauresam ducat 50. Archiepiscopus Maguntinus mittat centum. Coloniensis archiepiscopus mittat centum. Wirzeburgensis episcopus mittat 60. Abbas Erolsfeldensis 40 mittat. Heribertus comes ducat 20, et fratris filius aut veniat cum 30 aut mittat 40. Megingaus iuvante Burchard ducat 30. Cono, filius Cononis, ducat 40. De ducatu Alsaciense mittantur 70. Bezelinus filius Arnusti duodecim ducat. Azolinus Rodulfi filius mittat 30. Oddo frater Gebizonis 20 mittat. Hezel comes ducat 40. Abbas Uultensis mittat 40. Guntramus comes ducat 12. Viegerus ducat 20. Adelbertus 30 ducat. Domnus Sicco imperatorius frater ducat 20. Otto 40 ducat.

Carolus dux custos patriae domi dimissus Bosonem cum 20 mittat. Leodicensis episcopus 60 mittat cum Hermanno aut Ammone. Episcopus Camaracensis 12 mittat. Geldulfus cum adiutorio abbatum 12 ducat. Deodericus comes filium suum cum 12 mittat. Ansfredus comes 10 mittat. Gottefredus et Arnulfus marchiones 40 mittant. Filius Sicconis comitis 30 secum ducat. Abbas Brumiensis 40 ducat. Archiepiscopus Treverensis 70 ducat. Verdunensis episcopus 60 ducat. Tullensis 20 mittat.

Archiepiscopus Salceburgensis 70 mittat. Ratebonensis episcopus totidem mittat. Abraham 40 mittat. Reginaldus episcopus 50 ducat. Alboi*nus* episcopus 20 ducat. Episcopus Augustae civitatis centum ducat. Constanciensis episcopus 40 mittat. Curiensis episcopus 40 ducat. Augensis abbas 60 ducat. Abbas Sancti Galli 20 ducat. Abbas de Eloganga 40 ducat. Abbas de Kembeduno 30 ducat.

35. Aufgebotsschreiben Lothars III (an den Erzbischof von Arles). 1136 vor Michaelis.

Abgedruckt aus Mon. Germ. hist. LL. II (1837) S. 83. — Vgl. (Jahrbücher der deutschen Geschichte:) W. Bernhardi, Lothar von Supplinburg (1879) S. 610; K. Spannagel, Zur Geschichte des deutschen Heerwesens s. vorige Nr.

Lotharius Dei gratia Romanorum imperator augustus Arelatensi archiepiscopo gratiam suam et omne bonum.

Saepenumero scripsimus vobis requirentes fidelitatis et subiectionis tuae debitum; quod quia non mancipatur effectui, vis quantum in te est potestatem imperii nostri in partibus tuis satis indiscrete contemnere; quod quantum divinis et humanis legibus contrarium sit, si recte adverteris, ipse nosti. nos itaque Dei annuente clementia et principum imperii nostri suppeditante industria potestatem Romani imperii, quae apud vos tam adtenuata est et oblivioni proxima, prout oportet, reparare curabimus, adeo

ut fideles nostros debitis honoremus beneficiis et eos qui rebellare conantur *vi*ribus nostris affligamus. eapropter tibi tamquam fideli et principi nostro mandando praecipimus, quatenus in festo sancti Michaelis in Placentia cum militia tua nobis occurras, animatus tam ecclesiae quam imperio debitum consilium et auxilium exhibere. *de* consilio principum ac [ecclesiae] dilectum capellanum nostrum tibi direximus, quem quasi a latere nostro delegatum in omnibus audias et ei fidem adhibeas; sciens pro certo, quod si te nostro conspectui non praesentaveris et subventioni ecclesiae Romanae debitisque imperii obsequiis nisi adfueris, offensam nostram graviter incurristi et nos de eiusdem ecclesiae consilio et principum nostrorum in te animadvertemus.

36. Die Constitutio de expeditione Romana.

(Kein Gesetz Karls des Grossen, sondern eine private Festsetzung aus dem 12. Jahrhundert).

Abgedruckt aus Mon. Germ. hist. LL. II (1837) S. 3 f. der II. Abteilung. — Vgl. P. Scheffer-Boichorst, Die Heimat der Constitutio de expeditione Romana in: Zeitschrift für die Geschichte des Oberrheins. 42. Bd. = N. F. Bd. III (1888), S. 173—191.

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Karolus divina favente gratia rex Francorum et Romanorum. Si praedecessorum nostrorum morem sequimur, non solum praesentibus, sed et succedentibus subvenire nitimur. Hac de causa universorum cognoscat experientia, qualiter dum pro nostra consecratione coronaeque perceptione proficiscendi tempus ad apostolicam sedem instaret, cum quam multis principibus annum Wormatiae transegimus ibique omnem reipublicae statum utilem et honestum confirmare, nocivum atque contrarium radicitus exstirpare decrevimus. Interim dum haec agerentur, casu contigit principes cum militibus de Romana expeditione, quae tunc instabat, acerbe contendere, constringentes eos multo plures halspergas de beneficiis suis sibi ducere, quam illi faterentur se posse vel iure debere. Sed quoniam hoc non ab aliquo antecessorum nostrorum terminatum fuer*a*t, dignum duximus, ut eorum altercationi finem et modum imponeremus atque decretum et certam aliquam legem super omni Romana expeditione concederemus.

Statuimus ergo et decrevimus cum consensu tam spiritualium quam secularium principum ibidem nobiscum assidentium, quando pro corona nostra vel aliqua regni utilitate aut honore Romana expeditio a nobis vel a successoribus nostris praeparetur, ad omnium nobiscum euntium praeparationem annus cum sex ebdomadibus pro induciis detur et taliter per totum regnum fidelibus nostris indicetur. Cuicumque autem secundum hanc legem eadem expeditio imperetur, si ad curiam Gallorum hoc est in campum, qui vulgo Rungalle dicitur, dominum suum non comitetur et ibi

cum militari apparatu non repraesentetur, feodo praeter hos, qui cum gratia dominorum suorum remanserint, in conspectu nostro absque spe recuperationis privetur. Qui autem per hominium sive liberi sive famuli dominis suis adhaeserint, quot decem mansos in beneficio possideant, tot brunias cum duobus scutariis ducant, ita tamen, ut pro halsperga tres marcas et pro singulis scutariis singulas marcas accipiant; et sic eundo ac redeundo cum hoc stipendio sine omni dominorum damno vel expensa, nisi quantum ipsis dominis placuerit, fideliter serviant. Si autem forte (quod absit) accidat, ut iidem milites diversos dominos propter diversa beneficia acquirant, ne aliquod beneficium indebitum vel sine servitio remaneat, singuli singula debita singulis dominis persolvant; videlicet quantum ab ipsis si irent accepturi erant, tantum se daturos cognoscant vel in praefato loco (ut dictum est) feodum amittant, nisi aliqui a nobis vel a regno sint inbeneficiati; hi si nobiscum vadant, nolumus, ut feodum amittant, sed stipendia nisi voluntate dominorum non praetermittant. Similiter de ecclesiarum filiis vel domesticis id est ministerialibus vel quorumcunque principum clientela, qui cottidie ad serviendum parati esse debent, statuimus, ut quicunque quinque mansos in beneficio possideant, domino suo, ad quem pertinent, bruniam cum uno scutario ducant. Et hoc in arbitrio dominorum pendeat, quos ducant, a quibus stipendia accipiant, quibus etiam halspergas concedant. Ipsis etiam ad itineris praeparationem 5 librae suae monetae in stipendium tribuantur et duo equi unus currens alter ambulans addantur, ac duobus sociis soumarius victilibus bene oneratus committatur, qui ab ipsis ad opus dominorum diligenter custodiatur. Ipsi quoque in dominorum tamdiu vivant procuratione, quamdiu in incepta vadant expeditione; et quidquid a rebellibus regni pugnando acquisierint, partes duas ad dominos deferant, tertiam sibi pro consolatione retineant. Quos autem non pascunt domini, ad ipsos reportent tertiam partem sui acquisiti. Singuli vero principes suos habeant officinarios speciales marscalcum dapiferum pincernam et kamerarium. Qui quatuor quanto plus sunt laboraturi, tanto plus in stipendio, in vestitu, in equitura prae caeteris sunt honorandi, scilicet unicuique istorum decem librae cum tribus equis tribuantur, quartus marscalco addatur, quorum unum ad praecurrendum, alterum ad pugnandum, tertium ad spatiandum, quartum ad loricam portandum. Isti vero tales remanere cupientes, si apud dominos impetrare valeant, quot mansos possideant, tot libras suae monetae vel totum fructum feodi in illo anno pro stipendio persolvant. Ut autem nostrum imperium ab omnibus habeat supplementum, hoc constituimus et firmiter praecipimus, ut singuli buringi decem cum duodecim funibus de canapo solidos dominis suis impendant et insuper soumarium cum capistro concedant, quem si domini voluerint, ipsi ad primam navalem aquam usque perducant. Mansionarius quinque solidos, absarius triginta denarios, bunuarius quindecim, quorumlibet larum possessores sex suppleant.

Et ut haec nostri decreti auctoritas inviolabilem et incorruptam in Dei nomine apud omnes successores nostros obtineat emunitatem, cunctis principibus qui aderant astipulantibus manu propria subter eam roborare decrevimus et annuli nostri signo assignari iussimus. Signum Karoli gloriosissimi regis. Hernustus notarius ad vicem Lutwardi cancellarii recognovi. Data 8. idus iunii anno ab incarnatione domini nostri Iesu Christi 790, regni autem *nostri* 22 ante consecrationem, actum Wormatiae feliciter amen.

37. Aufgebotsschreiben Ruprechts. Heidelberg 1401 Juli.

Abgedruckt aus Deutsche Reichstagsakten Bd. IV (1882) S. 414 ff. — Vgl. ebenda die Anmerkungen und S. 401 ff.; G. Rosenhagen, Die Geschichte der Reichsheerfahrt von Heinrich VI bis Rudolf von Habsburg (Diss. Leipzig 1885); H. Fischer, Die Theilnahme der Reichsstädte an der Reichsheerfahrt vom Interregnum bis zum Ausgang K. Karl IV (Diss. Leipzig 1883).

Der Text a) repräsentirt die Art der Ausschreiben an die freien und Reichsstädte; der Text b) ist ein allgemeines Kanzleiformular für die Ausschreiben an Fürsten und Herren, die darin angegebene Zahl der gewünschten Truppen ist daher beispielsweise zu verstehen.

a) An die Stadt Strassburg.

Ruprecht von gots gnaden Romischer kunig zu allen zijten merer des richs.

Lieben getrůwen. als ir lehst zu Mencze von uns gescheiden sint von uwers dinstes wegin uns zu dun zu unserm zoge uber berg gein Lamperten, laßen wir uch wißen, daz wir haben besloßen an der samenunge und herberge zu sin umbe Augspurg uff dem Leche uff unser frauwen tag als sie geborn ward nativitas zu latine nehstkůmpt, also furbaß uber berg zu ziehen. und herumbe begern wir und bitden uch mit ernste, daz ir wollent bestellen, daz uwer folke, daz ir uns zu dem egenanten unserm zoge zu dinst werdent schicken, by uns sin an der samenunge uff die obgenante zijt und stat, also furbaß mit uns zů zihen. und wollent des nicht sumen, als wir uch genczlich gleuben und getruwen. daz ist uns von uch zu sunderm dancke und gefallen. datum Heidelberg in die beate Margarete virginis anno domini millesimo 400 primo, regni vero nostri anno primo.

[*in verso*] Den ersamen unsern lieben getrůwen meister und rat zu Straßpůrg.   Ad mandatum domini regis Nicolaus Buman.

b) An Fürsten und Herren.

Ruprecht etc.

Edeler lieber getruwer. wir laßen dich wißen, daz wir mit unsern kurfursten und etlichen andern unsern und dez richs fursten graven und herren zu rate sint worden, daz uns und dem riche nutzlich und bequemlich si, daz wir uns erheben uber berge gein Lamparthen zu ziehen unser keiserlich cronunge zu ent-

phaen so wir allerschierst mogen. und daz meinen wir also mit der gots hilf zu tun und stellen uns auch genzlich darzu. herumbe begeren wir und bitten dich zůmale fruntlich mit ganzem ernste, daz dů uns zu dem egenanten zůge wollest zu dinste kommen mit din selbs libe mit 40 mit gleven guter gewapenter und wol erzugter lute, also daz igliche gleve zum minsten habe drů pferde und selbander wol gewapent, und bi uns an der herberge sin umbe Augspurg of dem Leche of unser frauwen tag alz sie geborne wart nativitas zu latin nehstkompt, also furbaz mit uns gein Lamparten zu ziehen. so wollen wir dir mit der egenanten zale gleven zů solde geben dez mandes dusent rinischer guldin in der maß alz andern unsern frunden und mitridern, die mit uns werden ziehen, daz der solte angee, wann dů

zů uns an die egenante herberge kummest.	vor Wirczburg kummen wirdest alz dů zů uns an die egenante herberge wilt riten.

und wann dů zu uns also an die herberge kumest, so wollen wir dir den solte uf einen manet bevor geben. und wir wollen dich also mit der egenanten zale gleven in unserm solte behalten zum minsten vier manede. lieber getrewer. wollest uns heran nit laßen alz wir dir dez genzlich gleuben und getruwen, wann dů wol versteest daz uns noit ist daz wir in diesen sachen dich und andere unsere frunde und getruwen bi uns haben so wir meiste mogen. daz wollen wir gein dir nicht vergeßen und auch allzit gnediclich und gerne bedenken. und laße uns heruf din beschrieben antwurt wieder wißen mit diesem botten, darnach wir uns eigentlich mogen gerichten. datum Heidelberg Kyliani et sociorum ejus martyrum anno domini millesimo quadringentesimo primo, regni vero nostri anno primo.

38. Heeresmatrikel von 1422.

(Gesetz betr. die Stellung von Kontingenten zum täglichen Krieg in Böhmen 1422 vor Aug. 30. Nürnberg.)

Abgedruckt aus Deutsche Reichstagsakten VIII. Bd. (1883) Nr. 145 S. 157—165.

Anslag des teglichen kriegs zu Beheim.

Erzbischove zum ersten Mencz 50 mit gleven. Erzbischove Colln 40 mit gleven. Erzbischove Triere 40 mit gleven. Pfalzgrave 50 mit gleven. Sachsen 20 schuczen gerittner. Brandenburg 50 *mit gleven.*

Die bischofe.

Der erzbischof von Meydburg 30 gleven 10 schuczen. Der von Hildesheim 5 gleven 5 schuczen. Der von Wirczburg 20 mit gleven. Der von Bamberg 20 mit gleven. Der von Eysteten 10 mit gleven. Der von Strasburg 5 mit gleven. Der von

Costentz 8 mit gleven. Der von Basel 2 mit gleven. Der von Chur 2 mit gleven. Der von Bisontz 6 mit gleven. Der von Augspurg 2 mit gleven. Der von Mecze 6 mit gleven. Der von Toll 3 mit gleven. Der von Virdun 6 mit gleven. Der von Losan 6 mit gleven. Der von Spire 8 mit gleven. Der von Worms 2 mit gleven. Der von Verden 3 gleven 6 schuczen. Der von Swerin 8 gleven 8 schuczen. Der von Halberstat 6 gleven 6 schuczen. Der von Bremen 10 gleven 10 schuczen. Der von Camyn 6 gleven 6 schuczen. Der von Regenspurg 5 gleven. Der von Munster 10 gleven.

Herzogen und werntliche fursten.

Der von Lothringen 20 mit gleven. Der von Baer 20 mit gleven. Der von Saphoy 50 mit gleven. Marggraf von Baden 10 mit gleven. Lantgraf von Hessen 20 gleven 10 schuczen. Herzog Ott von der Leyne 10 gleven 10 schuczen. Erich von Brunswig 5 gleven 5 schuczen. Herzog Ott von Hirsberg 5 gleven 5 schuczen. Bernhart und Wilhelm von Brunswig mit iren steten nemlich Brunswig und Lunenburg zehen gleven 10 schuczen. Johan von Meckelburg 10 gleven 10 schuczen. Albrecht von Meckelburg 10 gleven 10 schuczen. Herzog Ulrichs kinder mit dem lande zu Stargarden 10 gleven 10 schuczen. Otto, Casmer von Stetin 20 gleven 12 schuczen. Wartislaff von Wolgast 15 gleven 12 schuczen. Erich von Sachsen von Lawenburg 3 gl. 6 sch. Ludwig von Ingelstat von Beyern 16 gleven. Ernst, Wilhelm von Beyern 10 gleven. Heinrich von Beyern 20 gleven. Johans von Beyern 10 gleven. Steffan von Beyern 5 gleven. Ott von Beyern 5 gleven. Adolf von Cleve 20 gleven. Herzog von Berge 6 spiss. Der bischof von Utricht mit Deventer Kampen und Swolle und Utricht 40 gleven.

Herren und graven in dem Niderlande.

Der herzog von Gulche, und die ritterschaft zu Gulch und zu Gelre, und die vier stete Romunde Nymegen Arnheim und Zutphen 60 gleven. Die dri stete von Brabant 100 gleven. Die stete von Lutich 100 gleven. Banyrherren ritter und knechte in Hollant 60 gleven. Banyrherren ritter und knechte in Hennegow, die stete von Hennegow, der graf von Namen 20 gleven. Herren und ritterschaft in Flandern, die stete in Flandern 20 gleven.

Graven und herren.

Gerhart grave zu der Marke 3 gleven. Wilhelm grave zu Ravensperg 2 gleven. Grave von Teckelnburg 2 gleven. Die graven vom Riedenberge 1 gleven. Der herre von der Lippe 2 gleven. Der herre von Dyffolt 1 gleven. Der grave von Benthem 1 gleven. Der graf von Schawenburg 1 gleven. Der graf von Aldemburg 1 gleven. Fridrich, Wilhelm von Hennenberg 4 gleven.

Der grave von Reneck 2 gleven. Der von Castel 2 gleven. Der von Hohenloch 2 gleven. Der von Winsperg 2 gleven. Der von Heydeck 1 gleven. Ott, Erik von der Heuw 6 gleven. Die von Wirtemberg 20 gleven. Der von Schalun 15 gleven. Der marggraf von Roteln 3 gleven. Der von Tockenburg 5 gleven. Conrad von Fryburg 5 gleven. Hugo meister sant Johans ordens 10 gleven. Cristoffel von Wenden 6 gleven 6 schuczen. Albrecht, Jœrge von Anhalt 5 gleven 5 schuczen. Bernhart von Anhalt 4 gleven 4 schuczen. Bernhart von Reynsteim 3 gleven 3 schuczen. Der von Werningerode 4 gleven 4 schuczen. Emich von Lyningen 3. Friderich von Lyningen 2. Philipps von Nassau 4. Johan von Spanheim 5. Fridrich von Veldencz 3. Johan, Fridrich die Ryngraven 2. Philipps, Emich herren zu dem Obernsteyne 2. Der von Hohenfels 1. Niclas voit zu Honoltstein 1. Johan von Kaczenelnbogen 8. Adolf von Nassow 2. Wilhelm von Wiede 3. Philips, Salentyn herren zu Isemburg 3 gleven. Johan von Wiede, Reynhart herre zu Westerburg 2. Dietrich herre zu Runckel 1. Johan, Heinrich graven zu Nassaw herren zu Bilstein 2. Bernhart, Johan graven zu Solms gebruder 3. Johan von Witgenstein 1. Ruprecht von Virnenburg 2. Gotfrid, Eberhart herren zu Eppenstein 4. Reynhart herre zu Hanow 3. Diether herre zu Budingen 3. Michel von Wertheim 1. Wilhelm von Eberstein 1. Der herre von Arberck 3. Wilhelm von Blanckenstein 1. Johan herre zu der Sleyden 1. Fridrich von Moerse 4. Johan herre zu Heynsberg 4. Walrave von Moerse 1. Wilhelm, Craft herren zu Saffenberg 2. Johan herre zu Rodenmachen 2. Johan, Gotfrid graven zu Cziegenhain 2. Heinrich von Waldecke und die andern von Waldecke 4. Johan, Heinrich von Vynstingen 2. Der herre von Wybelkoben 1. Schenk Eberhart, Schenk Conrat der alter, Schenk Conrat der junger von Erpach 3. Conrat herre zu Bickenbach 1. Der herre von Nuwenare 1. Eberhart von Lymberg herre zum Hartenberge 2. Der grave von Lymburg 1. Der herre von Hurne 2. Johan von Sarwerden 1. Die gebrudere von Bitsch 1. Der grave von Salmen 1.

Die epte.

Der abt von Fulde 6. Der von Weissenburg 2. Der von Selße 1. Der von Murbach 3. Der von Mulbrunn 5. Der von den Einsideln 2. Der von Biebenhusen 3. Der von Salmenwilre 5. Der von Albe 2. Der von Kempten 2. Der von Schafhusen 2. Der von Petershusen 2. Der von Kontzlingen 2. Der von Wingarten 4. Der von Elchingen 2. Der von Sant-Blesij 2. Der von Balbůren 2. Der von Zwifelten 2. Der von Yseney 1. Der von Sant-Jorgen 1. Der von Sant-Johan 1. Der von Pfefirß 1. Der von Kunigsbrunn 1. Der probst von Schußenriet 2.

Die stete.

Die eidgenossen von Bern Luczern Czurch Friburg in Uchtland etc. 250 pferd.

Costencz Lyndow Buchhorn Ravenspurg Uberlingen Czelle am Undersee Dyssenhoven 50 mit gleven oder 200 gerittner gewappenter.

Schafhusen Waldshut Lauffenberg Seckingen Rynfelden Wintertur Rapolßwilr Frawenfelt 26 schuczen.

Kempten Isny Wangen Lutenkirch Memmingen Augspurg Bibrach Pfullendorff Kaufburen Ulme Giengen Nordlingen Bopfingen Alun Gmůnd Dinckelspuhel Esslingen Rutlingen Rottwile Wyle Buchaw 100 mit gleven und 100 schutzen.

Halle 12 mit gleven und schuczen 12. Heilprunn Wimpfen Winsperg 24 gewappenter die geriten sin. Basel 16 mit gleven. Straspurg 20 gleven. Mulhusen Colmar Munster in Sant-Gregoriental Keysersberg Durinkeim Sletstat Oberehenheim Roßhein Hagnow Wissemburg 30 gleven. Friburg Nuwemburg Brisach Kenczingen Endingen 10 gleven. Mecz 20 gleven. Toll 5 gleven. Virdun 10 gleven. Koufmanssarburg 3 gleven. Triere 4 gleven. Spir Worms Mentz 24 gleven. Colln Ache 30 gleven. Dorpmund 6 gleven. Frankfurt 15 gleven. Fridberg 2 gleven. Geilnhusen 3 gleven. Weczflar 2 gleven. Nuremberg 30 gleven 30 schuczen. Rotemburg 12 gleven 12 schuczen. Windsheim 6 gleven 6 schuczen. Wißemburg zu Franken 5 gleven 5 schuczen. Swinfurt 5 gleven 5 schuczen. Regenspurg 15 gleven 15 schuczen. Lůbeck 30 gleven 30 schuczen. Hamburg 20 gleven 20 schuczen. Mulhusen 8 gleven 6 schuczen. Northusen 15 gleven 10 schuczen. Goßler 10 gleven 6 schuczen. Aschirßlewe 10 gleven 10 schuczen. Halberstat 10 gleven 10 schuczen. Quedlenburg 10 gleven 10 schuczen.

Summa totalis 754 gleven 777 gewappenter roß von den steten.

V.

Gerichtswesen.

39. Lex Salica.

Abgedruckt aus J. Fr. Behrend, Lex Salica (1874), und zwar vollständig die wichtigsten Titel, welche Gerichtsverfassung, Strafrecht, ständische Verhältnisse betreffen, sowie einige der merkwürdigen privatrechtlichen Satzungen, im übrigen nur die Titelüberschriften zur Veranschaulichung des ganzen Inhalts, unter Fortlassung der sogen. Malbergischen Glosse, wovon nur eine Probe in Titel 1 gegeben ist. — Vgl. H. Brunner, Deutsche Rechtsgeschichte Bd. I (1887) S. 292 ff., wo die vortrefflichste Orientirung über alle in Betracht kommenden Verhältnisse und Fragen nebst Literatur gegeben ist; zudem G. Waitz, Deutsche Verfassungsgesch. Bd. II, 1 (dritte Auflage 1882) S. 86—135. Eine Uebersetzung mit fortlaufendem Kommentar, doch nicht immer zutreffend, giebt K. J. Clement, Forschungen über das Recht der Salischen Franken vor und in der Königszeit (Bibliothek für Wissenschaft und Literatur Band III 1876) S. 86 ff.

[Incipit prologus legis Salicae.

Gens Francorum inclita, auctore Deo condita, fortis in arma, firma in pacis fœdere, profunda in consilio, corporea nobilis, incolumna candore, forma egregia, audax velox et aspera, ad catholica fide conversa et inmunis ab herese, dum adhuc teneretur barbara, inspirante Deo inquirens scienciæ clavem, juxta morum suorum qualitatem desiderans justitiam, custodiens pietatem, dictaverunt Salica lege per proceris ipsius gentis qui tunc tempore ejusdem aderant rectores electi de pluribus viris quattuor his nominibus: Wisogastis, Bodogastis, Saligastis et Widogastis, in loca nominancium Salchamæ, Bodochamæ, Widochamæ, qui per tres mallos convenientes, omnes causarum origines sollicite discuciendum, tractandis de singulis judicibus decreverunt hoc modo.

At ubi Deo favente rex Francorum Chlodeveus torrens et pulcher et primus recepit catholicam baptismi et quod minus in pactum habebatur idoneo per proconsolis regis Chlodovehi et Hildeberti et Chlotarii fuit lucidius emendatum.

Vivat qui Francos diligit Christus, eorum regnum custodiat, rectores eorum lumen suæ graciæ repleat, exercitum protegat, fidei munimenta tribuat, pacem gaudia et felicitatem tempora dominancium Dominus Jesus Christus pietate concedat. Haec est enim gens, quæ fortis dum esset et valida, Romanorum jugum durissimum de suis cervicibus excusserunt pugnandum, atque post agnitionem baptismi sanctorum martyrum corpora, quæ Romani igne cremaverant vel ferro truncaverant vel bestiis lacerandum projecerant, Franci super eos aurum et lapides prætiosos ornaverunt.]

1. De mannire.

1. Si quis ad mallum legibus dominicis mannitus fuerit et non venerit (malb. „reaptem“ hoc est), 600 dinarios, qui faciunt solidos 15, culpabilis judicetur.

2. Ille vero qui alium mannit et ipse non venerit, si eum sunnis non tricaverit, ei qui manebit 15 solidos culpabilis judicetur.

3. Et ille, qui alium mannit, cum testibus ad domum illius ambulare debet, et si præsens non fuerit, sic aut uxorem aut quemcumque de familia illius appellit, ut illi faciat notum quod ab eum mannitus est.

4. Nam si in dominica ambasia fuerit occupatus, mannire non potest.

5. Si vero infra pago in sua ratione fuerit, sicut superius diximus mannire potest.

2. De furtis porcorum.
3. De furtis animalium.
4. De furtis ovium.
5. De furtis caprarum.
6. De furtis canum.
7. De furtis avium.
8. De furtis apium.
9. De damno in messe vel qualibet clausura inlatum.
10. De servis vel mancipiis furatis.

1. Si quis servo aut caballo vel jumentum furaverit, 1200 dinarios, qui faciunt solidos 30, culpabilis judicetur.

2. Si servus aut ancilla cum ipso ingenuo de rebus domini sui aliquid portaverit, fur, præter quod ejus mancipia et res restituat, et insuper 600 dinarios, qui faciunt solidos 15, culpabilis judicetur.

11. De furtis ingenuorum vel efracturis.

1. Si quis ingenuus de foris casa quod valit duos dinarios furaverit, 600 dinarios, qui faciunt [solidos] 15, culpabilis judicetur.

2. Si vero foris casa furaverit quod valent 40 dinarios, et ei fuerit adprobatum, præter capitale et dilaturam 1400 dinarios, qui faciunt solidos 35, culpabilis judicetur.

3. Si ingenuus homo efractura fecerit quod valit 2 dinarios, et ei fuerit adprobatum, solidos 15 culpabilis judicetur.

4. Si vero supra 5 dinarios quod valet furaverit, et ei fuerit adprobatum, excepto capitale et dilatura 1400 dinarios, qui faciunt solidos 35, culpabilis judicetur.

5. Si vero clavem effrigerit aut adulteraverit, sic in domo ingressus fuerit aut exinde furtum aliquid tulerit, excepto capitale et dilatura 1800 dinarios, qui faciunt solidos 45, culpabilis judicetur.

6. Si vero nihil tulerit aut fugiens evaserit, 1200 dinarios, qui faciunt solidos 30, culpabilis judicetur.

12. De furtis servorum vel efracturis.

1. Si servus foris casa quod valit 2 dinarios furaverit, excepto capitale et dilatura 120 flagellus extentus accipiat.

2. Si vero quod valit 40 dinarios furaverit, aut castretur aut sex solidos reddat. Dominus vero servi qui furtum fecit capitale et dilaturam requirenti restituat.

13. De rapto ingenuorum.

1. Si tres homines ingenuam puellam rapuerint, tricinus solidus cogantur exsolvere.

2. Illi qui super tres fuerint quinos solidos solvant.

3. Qui cum sagittas fuerint ternos solidos culpabiles judicentur.

4. Raptores vero 2500 dinarios, qui faciunt solidos 63, exigantur.

5. Si vero puella ipsa de intro clave aut de screuna rapuerint, præcium et causa superius conpræhensa culpabiles judicentur.

6. Si vero puella, qui trahitur, in verbum regis fuerit, fritus exinde 2500 dinarios, qui faciunt solidos 63, est.

7. Si vero puer regi vel litus ingenuam feminam traxerit, de vita culpabilis esse debet.

8. Si vero ingenua puella de illis suam voluntatem servum secuta fuerit, ingenuitatem suam perdat.

9. Ingenuus si ancilla aliena prisserit, similiter paciatur.

10. Si quis sponsam alienam tulerit et eam sibi in conjugio copulaverit, 2500 dinarios, qui faciunt solidos 63, culpabilis judicetur.

14. De supervenientibus vel expoliatis.

1. Si quis hominem ingenuum in superventum expoliaverit, cui fuerit adprobatum, 2500 dinarios, qui faciunt solidos 63, culpabilis judicetur.

2. Si vero Romanus barbarum Salico expoliaverit, legem superiorem conpræhensa convenit observare.

3. Si vero Francus Romano expoliaverit, solidos 35 culpabilis judicetur.

4. Si quis hominem qui migrare voluerit et de rege habuerit præceptum et abbundivit in malum puplico, et aliquis contra ordinationem regis testare præsumpserit, 8000 dinarios, qui faciunt solidos 200, culpabilis judicetur.

5. Si quis hominem migrante adsalierit, quanti in contubernio vel superventum, 2500 dinarios, qui faciunt solidos 63, culpabilis judicetur.

6. Si quis villa aliena adsalierit, quanti in eo contubernio probantur, solidos 63 culpabilis judicetur.

15. De homicidiis vel si quis uxorem alienam tulerit.

Si quis hominem ingenuum occiderit aut uxorem alienam

tulerit a vivo marito, 8000 dinarios, qui faciunt solidos 200, culpabilis judicetur.

16. De incendiis.

17. De vulneribus.

1. Si quis alterum voluerit occidere et colpus falierit, cui fuerit adprobatum, 2500 dinarios, qui faciunt solidos 63, culpabilis judicetur.

2. Si quis alterum de sagitta toxigata percutere voluerit et prætersclupaverit, et ei fuerit adprobatum, 2500 dinarios, qui faciunt solidos 63, culpabilis judicetur.

3. Si quis alterum in caput plagaverit ut cerebrum apareat et exinde tria ossa quæ super ipso cerebro jacent exierint, 1200 dinarios, qui faciunt solidos 30, culpabilis judicetur.

4. Si vero inter costas fuerit aut in ventrem ita ut vulnus appareat et usque ad intrania perveniat, 1200 dinarios, qui faciunt solidos 30, culpabilis judicetur, præter medicatura solidos 5.

5. Si quis hominem plagaverit ita ut sanguis in terra cadat, et ei fuerit adprobatum, 600 dinarios, qui faciunt solidos 15, culpabilis judicetur.

6. Si quis ingenuus ingenuum de fuste percusserit ut sanguis non exeat, usque tres colpus semper pro unoquoque iecto 120 dinarios, qui faciunt solidos 3, culpabilis judicetur.

7. Si vero sanguis exierit, tale culpa conponat quantum si eum de ferro vulneraverit.

8. Si quis de clauso pugno alio percusserit, 360 dinarios, qui faciunt solidos 9, culpabilis judicetur, ita ut per singulos iectos ternos solidos reddat.

9. Si quis alterum in via expoliare temptaverit et ei per fuga evasserit, cui fuerit adprobandum, 2500 dinarios, qui faciunt solidos 63, culpabilis judicetur.

18. De eum qui innocentem hominem ad regem accusat.

Si quis ad regem innocentem hominem absentem accusaverit, 2500 dinarios, qui faciunt solidos 63, culpabilis judicetur.

19. De maleficiis.

20. De eum qui ingenua muliere manum vel brachio aut digito extrinxerit.

21. De navibus furatis.

22. De furtis in molino conmissis.

23. De caballo extra consilium domini sui ascensu.

24. De homicidiis parvolorum.

25. De adulteriis ancillarum.

1. Si quis cum ingenua puella per virtutem mechatus fuerit, solidos 63 culpabilis judicetur.

2. Si quis cum ingenua puella spontanea voluntate ambis

convenientibus mechati fuerint, 1800 dinarios, qui faciunt solidos 45, culpabilis judicetur.

3. Si quis ingenuus cum ancilla aliena mechatus fuerit, et ei fuerit adprobatum, domino ancillæ 600 dinarios, qui faciunt solidos 15, culpabilis judicetur.

4. Si quis vero cum rege ancilla mechatus fuerit, 1200 dinarios, qui faciunt solidos 30, culpabilis judicetur.

5. Si vero ingenuus ancilla aliena publice se junxerit, ipse cum ea in servitute permaneat.

6. Similiter et ingenua, si servo alieno in conjugio acceperit, in servicio permaneat.

7. Si servus cum ancilla aliena mechatus fuerit et ex ipso crimine ancilla mortua fuerit, servus ipse aut 240 dinarios, qui faciunt solidos 6, domino ancillæ reddat aut castretur. Dominus vero servi capitale ancillæ in locum restituat.

8. Si ancilla ex hoc mortua non fuerit, servus aut 300 iectos flagellorum accipiat aut 120 dinarios, qui faciunt solidos 3, domino reddat.

9. Si servus ancilla aliena invita traxerit, 120 dinarios, qui faciunt solidos 3, domino ancillæ reddat.

26. De libertis demissis.

1. Si quis homo ingenuus alienum letum extra consilium domini sui ante rege per dinario dimiserit et convictus fuerit, 4000 dinarios, qui faciunt solidos 100, culpabilis judicetur. Res vero leti ipsius legitime reformetur.

2. Si quis vero servo alieno per denario ante regem dimiserit, cui fuerit adprobatum, precium servi domino et insuper solidos 35 culpabilis judicetur.

27. De furtis diversis.

28. De elocationibus.

29. De dibilitatibus.

1. Si quis alterum manum vel pedem debilitaverit aut oculum vel nasum amputaverit, 4000 dinarios, qui faciunt solidos 100, culpabilis judicetur.

2. Si cui vero manus ipsa mancata ibi pendiderit, 2500 dinarios, qui faciunt solidos 63, culpabilis judicetur.

3. Si quis de manum vel pedem policem excusserit, 2000 dinarios, qui faciunt solidos 50, culpabilis judicetur.

4. Si ibidem ipse polix mancatus pependerit, 1200 dinarios, qui faciunt solidos 30, culpabilis judicetur.

5. Si vero secundum digito, id est unde sagittatur, excusserit, 1400 dinarios, qui faciunt solidos 35, culpabilis judicetur.

6. Sequentes vero digitis, id est tres, si pariter in unum iectum inciderit, solidos 50 culpabilis judicetur.

7. Si duos excusserit, solidos 35 culpabilis judicetur.

8. Si vero unum inciderit, solidos 30 culpabilis judicetur.

9. Si quis hominem ingenuum castraverit, 8000 dinarios, qui faciunt solidos 200, culpabilis judicetur.

30. De conviciis.

31. De via lacina.

32. De ligaminibus ingenuorum.

33. De venationibus furatis.

34. De sepibus furatis.

35. De homicidiis servorum vel expoliatis.

1. Si quis servus servum occiderit, homicida illum domini inter se dividant.

2. Si quis ingenuus servum alienum expoliaverit et ei supra 40 dinarios quod valet tulisse convincitur, 1200 dinarios, qui faciunt solidos 30, culpabilis judicetur.

3. Si vero minus quam 40 dinarios expolia ejus valuerint, 600 dinarios, qui faciunt solidos 50, culpabilis judicetur.

4. Si quis homo ingenuus letum alienum expoliaverit, et ei fuerit adprobatum, 1400 dinarios, qui faciunt solidos 35, culpabilis judicetur.

5. Si servus alienus aut lætus hominem ingenuum occiderit, ipse homicida pro medietate compositionis illius hominis occisi parentibus tradatur, et dominus servi aliam medietatem compositionis se noverit solviturum.

6. Si quis vasso ad ministerium aut fabrum ferrarium vel aurifice aut porcario vel vinitorem aut stratorem furaverit aut occiderit, cui fuerit adprobatum, 1200 dinarios, qui faciunt solidos 30, culpabilis judicetur.

7. Inter freto et faido sunt 1800 dinarios, qui faciunt solidos 45, excepto capitale et dilatura; in summa sunt simul solidos 75.

36. De quatrupedibus si hominem occiderent.

37. De vestigio minando.

38. De furtis caballorum vel equorum.

39. De plagiatoribus.

40. Si servus in furtum fuerit inculpatus.

41. De homicidiis ingenuorum.

1. Si quis ingenuo Franco aut barbarum qui legem Salega vivit occiderit, cui fuerit adprobatum, 8000 dinarios, qui faciunt solidos 200, culpabilis judicetur.

2. Si vero eum in poteum aut sub aqua miserit aut de rammis aut de quibuslibet rebus celaturus texerit, 24000 dinarios, qui faciunt solidos 600, culpabilis judicetur.

3. Si vero eum, qui in truste dominica fuit, aut mulierem ingenuam occiderit, 24000 dinarios, qui faciunt solidos 600, culpabilis judicetur.

4. Si vero eam in aquam aut in poteum miserit aut de quibuslibet celaturis texerit, 72000 dinarios, qui faciunt solidos 1800, culpabilis judicetur. Si vero eam cum alesum percoperuerit, 600 solidos judicetur.

5. Si quis vero Romano homine conviva rege occiderit, cui fuerit adprobatum, 12000 dinarios, qui faciunt solidos 300, culpabilis judicetur.

6. Si vero Romano possessore et conviva regis non fuerit, qui eum occiderit 4000 dinarios, qui faciunt solidos 100, culpabilis judicetur.

7. Si vero Romanum tributarium occiderit, solidos 63 culpabilis judicetur.

8. Si quis vero hominem in quadruvio invenerit sine manus et sine pedes, quem inimici sui demisserunt, et eum peroccideri, cui fuerit adprobatum, 4000 dinarios, qui faciunt [solidos] 100, culpabilis judicetur.

9. Si quis hominem ingenuum in poteum jactaverit et vivus inde exierit, 4000 dinarios, qui faciunt solidos 100, culpabilis judicetur.

42. De homicidio in contubernio facto.

1. Si quis colecto contubernio hominem ingenuo in domo sua adsalierit et ibi eum occiderit, si in truste dominica fuit ille qui occisus est, 72000 dinarios, qui faciunt solidos 1800, culpabilis judicetur.

2. Si vero in truste dominica non fuit ille qui occisus est, 24000 dinarios, qui faciunt solidos 600, culpabilis judicetur.

3. Si vero corpus occisi hominis tres vel amplius habuerit plagas, tres quibus inculpatur qui in eo contubernio fuisse probantur, legem superius conpræhensa cogantur exsolvere. Alii vero tres de eo contubernio 3600 dinarios, hoc est nonaginus solidus, solvant. Et tres adhuc in tertio loco de eo contubernio 1800 dinarios, qui faciunt solidos 45, culpabiles judicentur.

4. De Romanus vero vel letis et pueris hæc lex superius conpræhensa ex medietate solvatur.

5. Si quis villam alienam expugnaverit et res ibi invaserit, si tamen probatio certa non fuerit, cum 25 juratores medius electus exsolvat; si juratores non potuerit invenire, 2500 dinarios, qui faciunt solidos 63, culpabilis judicetur.

43. De homicidio in con*virio* facto.

44. De reipus.

1. Sicut adsolit homo moriens et viduam dimiserit qui eam voluerit accipere, antequam sibi copulet, ante thunginum aut centenario, hoc est ut thunginus aut centenarius mallo indicant; et in ipso mallo scutum habere debet, et tres homines tres causas demandare debent. Et tunc ille, qui viduam accipere debet, tres solidos æque pensantes et denario habere debet; et tres erunt qu

solidos illius pensare vel probare debent; et hoc factum, si eis convenit, accipiat.

2. Si vero istud non fecerit et sic eam acciperit, 2500 dinarios, qui faciunt solidos 63, cui reipi debentur exsolvere debet.

3. Si vero quod superius diximus omnia secundum legem impleverit, tres solidos et denario ille, cui reipi debeantur, accipiat.

4. Si nepus sororis filius fuerit senussimus, ipse eos accipiat.

5. Si nepus non fuerit, neptis filius senior reipus illus accipiat.

6. Si vero neptis filius non fuerit, consobrine filius qui ex maternæ genere venit, ille eos accipiat.

7. Si vero nec consobrine filius fuerit, tunc avunculus frater matris reipus ille accipiat.

8. Si vero nec adhuc avunculus fuerit, tunc frater illius qui eam mulierem ante habuit, si in hereditatem non est venturus, ipse eos reipus accipiat.

9. Et si nec ipse frater fuerit, qui proximior fuerit extra superiores nominatos singillatim dicti secundum parentilla usque ad sextum genuculum, si hereditatem illius mariti defuncti non accipiat, ille reipus illus accipiat.

10. Jam post sexto genuculum si non fuerint, in fisco reipus ipse vel causa quæ exinde orta fuerit colligatur.

45. De migrantibus.

1. Si quis super alterum in villa migrare voluerit, si unus vel aliqui de ipsis qui in villa consistunt eum suscipere voluerit, si vel unus exteterit qui contradicat migranti ibidem, licentiam non habebit.

2. Si vero contra interdicto unius vel duorum in villa ipsa adsedere præsumpserit, tunc ei testare debet, et si noluerit inde exire, ille qui testat cum testibus sic ei debet testare: „Hic tibi testo in hac nocte proxima in hoc quod lex Saliga habet sedeas, et testo tibi ut in 10 noctes de villa ipsa egredere debeas.“ Postea adhuc post decem noctes iterum veniat ad ipsum et ei testet, ut iterum in decem noctes exeat. Si adhuc noluerit exire, item tertio decem noctis ad placitum suum addatur, ut sic 30 noctes impleatur. Si nec tunc voluerit exire, tunc maniat eum ad mallum et testes super singula placita qui fuerunt ibi præstos habeat. Si ipse cui testatum est noluerit inde exire, et eum aliqua sunnis non tenuerit, et ista omnia quæ superius diximus secundum legem est testatus, tunc ipse qui testavit super furtuna sua ponat et roget grafionem, ut accedat ad locum ut eum inde expellat. Et quia legem noluit audire, quod ibi laboravit demittat et insuper 1200 dinarios, qui faciunt solidos 30, culpabilis judicetur.

3. Si vero quis migraverit et infra 12 menses nullus testatus fuerit, securus sicut et alii vicini maneat.

46. De hac famirem (adfathamire).

1. Hoc convenit observare, ut thunginus aut centenarius

mallo indicant et scutum in illo mallo habere debent et tres homines tres causas demandare debent. Postea requirent hominem qui ei non perteneat et sic fistucam in laisum jactet. Et ipse, in cui laisum fistucam jactavit, de furtuna sua dicat verbum quantum voluerit aut totam furtunam suam cui voluerit dare. Ipse, in cujus laisum fistucam jactavit, in casa ipsius manere debet. Et hospites tres vel amplius collegere debet et de facultatem quantum ei creditum est in potestatem suam habere debet. Et postea ipse, cui isto creditum est, ista omnia cum testibus collectis agere debet. Postea aut ante rege aut in mallo illi, cui furtuna sua depotavit, reddere debet et accipiat fistucam in mallo ipso. Ante 12 menses quos heredes appellavit in laisum jactet; nec minus nec majus nisi quantum ei creditum est.

2. Et si contra hoc aliquis aliquid dicere voluerit, debent tres testes jurati dicere, quod ibi fuissent in mallo, quem thunginus aut centenarius indixerit, et quomodo vidissent hominem illum qui furtuna sua dare voluerit in laisum illius, quem jam elegit, fistucam jactare; debent denominare illo qui fortuna sua in laiso jactat, et illo quem heredem appellit similiter nominent; et alteri tres testes jurati dicere debent quod in casa illius qui furtuna sua donavit ille, in cujus laisu fistuca jactata est, ibidem mansisset et hospites tres vel amplius ibidem collegisset, et in beodum pultis manducassent et testes collegissent et illi hospites ei de susceptione gratias egissent. Ista omnia illi alii testis jurati dicere debent, et hoc quod in mallo ante regem vel legitimo mallo publico ille qui accepit in laisum furtuna ipsa aut ante regem aut in mallo publico legitimo, hoc est in mallobergo ante teoda aut thunginum, furtunam illam quos heredes apellavit publice coram populo fistucam in laiso jactasset, hoc est novem testes ista omnia debent adfirmare.

47. De filtortis.

1. Si quis servum aut caballum vel bovem aut qualibet rem super alterum agnoverit, mittat eum in tertia manu, et ille super quem cognoscitur debeat agramire; et si citra Ligere aut Carbonariam ambo manent et qui agnoscit et apud quem cognoscitur, in noctis 40 placitum faciant, et inter ipso placito qui interfuerit qui caballo ipso aut venderit aut cambiaverit aut fortasse in solutionem dederit, omnes intro placito isto communiantur, hoc est ut unusquique cum negotiatoribus alter alterum admoneat.

2. Et si quis commonitus fuerit et eum sunnis non tenuerit et ad placitum venire distulerit, tunc ille qui cum eum negotiavit mittat tres testes, quomodo ei nunciasset ut ad placitum veniret, et alteros tres, quod publice ab eo negociasset. Istud si fecerit, exuit se de latrocinio. Et ille qui non venerit super quem testes juraverunt, ille erit latro illius qui agnoscit, et precium reddat illi qui cum illo negociavit, et ille secundum legem conponat illi qui res suas agnoscit. Ista omnia in illo mallo debent fieri, ubi ille

est gamallus super quem res illa primitus fuit agnita aut intertiata. Quod si trans Legerem aut Carbonaria mannent, cum quibus res illa agnoscitur, 80 noctis lex ista custodiatur.

48. De falso testimonio.

49. De testibus.

50. De fides factas.

1. Si quis ingenuus aut letus alteri fidem fecerit, tunc ille, cui fides facta est, in 40 noctes aut quomodo placitum fecerit, quando fidem fecit, ad domum illius, qui fidem fecit, cum testibus vel cum illis qui præcium adpreciare debent accedere debet. Et si ei noluerit fidem factam solvere, solidos 15 super debitum quod fidem fecerit culpabilis judicetur.

2. Si adhuc noluerit conponere, debet eum ad mallum manire, et sic nexti canthichius mallare debet: „Rogo te, thungine, ut nexti canthichus gasacio meo illo qui mihi fidem fecit et debitum debet"; et nominare debet quale debitum debeat unde ei fidem fecerat. Tunc thunginus dicere debet: „Nexthe ganthichio ego illo in hoc quod lex Salega ait". Tunc ipse cui fides facta est testare debet ut nulli alteri nec solvat nec pignus donet solutionis, nisi ante illi impleat quod ei fidem fecerat. Et festinanter ad domum illius illa die, antequam sol collocet, cum testibus ambulare debet et rogare sibi debitum solvere. Si hoc noluerit facere, solem ei collocet; tunc si solem collocaverit, 120 dinarios, qui faciunt solidos 3, super debitum adcrescant. Istud usque ad tres vices per tres nondinas fieri debet, et in tercio ista omnia facta si noluerit conponere, usque ad 360 dinarios, hoc est solidos novem, adcrescat, id est ut per singulas admonitiones vel solem collocatum terni solidi super debitum adcrescant.

3. Si quis ad placitum legitime fidem factam noluerit solvere, tunc ille cui fides facta est ambulet ad grafionem loci illius, in cujus pago manet, et adprehendat fistucam et dicat verbum: „Tu grafio, homo ille mihi fidem fecit quem legitime habeo jactivo aut admallatum in hoc quod lex Saliga continet; ego super me et furtuna mea pono quod securus mitte in furtuna sua manum;" et dicat de qua causa et quantum ei fidem fecerat. Tunc grafio collegat secum septem rachineburgius idoneos, et sic cum eos ad casa illius qui fidem fecit ambulet et dicat: „Qui ad præsens es, voluntatem tuam solve homine isto quod ei fidem fecisti, et elege tu duos quos volueris cum rachineburgius istos, de quo solvere debeas adpreciare debeant, et hæc quæ debes secundum justum præcium satisfacias."

4. Quod si audire noluerit præsens aut absens, tunc rachineburgii præcium quantum valuerit debitus quod debet hoc de furtuna sua illi tollant; et de ipsa secundum legem quæ debet duas partes cujus causa est, tertia grafio frito ad se recolligat, si tamen fritus jam ante de ipsa causa non fuit solutus.

5. Si grafio rogitus fuerit et sunnis eum non tenuerit aut certa ratio dominica, et si distulerit ut non ambulet neque in rem mittat, qui cum legem et justitiam exigere debeat, de vita culpabilis esse debet aut quantum valet se redemat.

51. [Ohne Titelüberschrift.]

1. Si quis grafionem injuste ad res alienas tollendas invitat et rogaverit ambulare et legitime eum jactivum aut admallatum non habuerit aut fides ei facta fuerit, 8000 denarios, qui faciunt solidos 200, culpabilis judicetur.

2. Si vero grafio invitatus supra lege aut debitum justum aliquid amplius tollere præsumpserit, aut se redimat aut de vita conponat.

52. De rem pristitam.

53. De manu ad ineum redemendam.

1. Si quis ad ineum admallatus fuerit, forsitan convenit ut ille qui admallatus est manum suam redemat et juratores debeat dare; si talis causa est unde legitime 600 dinarii, qui faciunt solidos 15, si adprobatus fuerit reddere debuerat, 120 dinarios, hoc est solidos 3, manum suam redemat.

2. Si plus ad manum redemendum dederit, fritus grafioni solvatur quantum de causa illa si convictus fuisset.

3. Si vero fuerit causa, que 35 solidus si adprobatus fuisset poterat culpabilem judicare, et si convenerit ut manum suam redimat, 260 dinarios, qui faciunt solidos 6, manum suam redemat.

4. Quod si amplius dederit, fretus grafione solvatur, quantum de causa illi si convictus fuisset erit redditurus.

5. Ista redemptio de manu redemenda usque ad leudem sic permanet.

6. Si vero leudem alteri impotaverit et eum ad ineum admallatum habuerit et convenerit juratores donet et manum suam redemat, 1200 dinarios, qui faciunt solidos 30, manum suam redemat.

7. Quod si amplius dederit, fretus de leodem grafionem solvat.

54. De grafionem occisum.

1. Si quis grafionem occiderit, 24000 dinarios, qui faciunt solidos 600, culpabilis judicetur.

2. Si quis sacebarone aut obgrafionem occiderit qui puer regius fuit, 12000 dinarios, qui faciunt solidos 300, culpabilis judicetur.

3. Si quis sacebarone qui ingenuus est occiderit, 24000 dinarios, qui faciunt solidos 600, culpabilis judicetur.

4. Sacibaronis vero in singulis mallibergiis plus quam tres non debent esse, et de causas aliquid de quod eis solvitur factum dixerint, hoc ad grafionem non requiratur unde ille securitatem fecerit.

55. De corporibus expoliatis.

56. De eo qui ad mallum venire contemnit.

Si quis ad mallum venire contempserit aut quod ei a rachineburgiis fuerit judicatum adimplere distulerit, si nec de compositione nec ineo nec de ulla legem fidem facere voluerit, tunc ad regis præsentia ipso manire debet. Et ibi duodicem testes erunt qui per singulas vices tres jurati dicant, quod ibi fuerunt ubi rachineburgius judicavit, ut aut ad ineo ambularet aut fidem de conpositione faceret et ille dispexerit. Iterum alii tres jurare debent ut ibi fuissent die quando rachineburgii judicaverunt, ut aut per ineo aut per conpositione se educeret, hoc est de illa die in 40 noctis in mallobergo iterum ei solem collocaverit et nullatenus legem voluerit adimplere.

2. Tunc eum debet manire ante regem, hoc est in noctes 14, et tria testimonia jurare debent, quod ibi fuerunt ubi eum manivit et solem collocavit. Si nec tunc venit, ista novem testimonia jurati sicut superius diximus dicant. Similiter illa die si non venerit, collocet ei solem, et illa tria testimonia qui ibi fuerunt ubi collocavit solem iterum jurare debent. Tunc si ille, qui admallat, ista omnia impleverit et qui admallatus est ad nullum placitum venire voluerit, tunc rex ad quem manitus est extra sermonem suum ponat eum. Tunc ipse culpabilis et omnes res suas erunt. Et quicumque eum aut paverit aut hospitalem dederit, etiam si uxor sua proxima, 600 dinarios, qui faciunt solidos 15, culpabilis judicetur, donec omnia que imputatur conponat.

57. De rachineburgiis.

1. Si quis rachineburgii in mallobergo sedentes dum causam inter duos discutiunt, legem dicere noluerint, debet eis dicere ille qui causa prosequitur: „Hic ego vos tancono ut legem dicatis secundum legem Salegam." Quod si illi dicere noluerint, septem de illos rachineburgios 120 dinarios, qui faciunt solidos 3, solem collocatum culpabiles judicentur.

2. Quod si nec legem dicere noluerint nec de ternos solidos fidem facerent, solem illis collocatum, 600 dinarios, qui faciunt solidos 15, culpabiles judicentur.

3. Si vero illi rachineburgii non secundum legem judicaverint, is contra quem sententiam dederint causa sua agat, et si potuerit adprobare quod non secundum legem judicassent, 600 dinarios, qui faciunt solidos 15, quisque illorum culpabilis judicetur.

58. De chrenecruda..

1. Si quis hominem occiderit et tota facultate data non habuerit unde tota lege conpleat, 12 juratores donare debet, quod nec super terram nec subtus terram plus facultatem non habeat, quam jam donavit. Et postea debet in casa sua introire et de quattuor angulos terram in pugno collegere et sic postea in duropullo, hoc est

in limitare, stare debet intus in casa respiciens, et sic de sinistra manum de illa terra trans scapulas suas jactare super illum quem proximiorem parentem habet. Quod si jam pater et fratres solserunt, tunc super suos filios debet illa terra jactare, id est super tres de generatione matris et super tres de generatione patris qui proximiores sunt. Et sic postea in camisia discinctus, discalcius, palo in manu, sepe sallire debet, ut pro medietate quantum de conpositione diger est aut quantum lex addicat illi tres solvant, hoc est illi alii, qui de paterna generatione veniunt, facere debent.

2. Si vero de illis quicumque pauperior fuerit ut non habeat unde integrum debitum solvat, quicumque de illis plus habet iterum super illum chrenecruda ille qui pauperior est jactet, ut ille tota lege solvat. Quod si vero nec ipse habuerit unde tota persolvat, tunc illum qui homicidium fecit qui eum sub fidem habuit in mallo præsentare debent, et sic postea eum per quattuor mallos ad suam fidem tollant. Et si eum in conpositione nullus ad fidem tullerunt, hoc est ut redimant de quo domino non persolvit, tunc de sua vita conponat.

59. De alodis.

1. Si quis mortuus fuerit et filios non dimiserit, si mater sua superfuerit, ipsa in hereditatem succedat.

2. Si mater non fuerit et fratrem aut sororem dimiserit, ipsi in hereditatem succedant.

3. Tunc si ipsi non fuerint, soror matris in hereditatem succedat.

4. Et inde de illis generationibus, quicumque proximior fuerit, ille in hereditatem succedat.

5. De terra vero nulla in muliere hereditas non pertinebit, sed ad virilem sexum qui fratres fuerint tota terra perteneat.

60. De eum qui se de parentilla tollere vult.

1. In mallo ante thunginum ambulare debet et ibi tres fustis alninus super caput suum frangere debet. Et illos per quattuor partes in mallo jactare debet et ibi dicere debet, quod juramento et de hereditatem et totam rationem illorum se tollat.

2. Et si postea aliquis de suis parentibus aut occidatur aut moriatur, nulla ad eum nec hereditas nec conpositio perteneat, sed hereditatem ipsius fiscus adquirat.

61. De charoena.

62. De conpositione homicidii.

1. Si cujuscumque pater occisus fuerit, medietate conpositionis filii collegant, et alia medietate parentes qui proximiores sunt tam de patre quam de matre inter se dividant.

2. Quod si de nulla parte paterna seu materna nullus parens non fuerit, illa portio in fisco colligatur.

63. De homine ingenuo qui in oste occiditur.

1. Si quis hominem ingenuum in oste occiserit et in truste dominica non fuit ille qui occisus est, 24000 dinarios, qui faciunt solidos 600, culpabilis judicetur.

2. Si vero in truste dominica fuerit ille qui occisus est, cui fuerit adprobatum, 1800 solidos culpabilis judicetur.

64. De herburgium.

65. De caballo mortuo extra consilium domini sui decotato.

40. Kapitulare Karls des Grossen [811—813].

Abgedruckt aus Mon. Germ. hist. (Quartserie) Legum sectio II Capitularia regum Franc. I (1881) S. 176 f. — Vgl. R. Schröder, Lehrbuch der deutschen Rechtsgeschichte (1889) S. 163 ff.; G. Waitz, Deutsche Verfassungsgesch. Bd. IV (2 Aufl. 1885) S. 365 ff.

Capitula quae pro iustitiis infra patriam faciendis constituta sunt.

[1] De termino causarum et litium statuimus, ut ex quo bonae memoriae domnus Pippinus rex obiit et nos regnare coepimus causae vel lites inter partes factae atque exortae discutiantur et congruo sibi iudicio terminentur; prius vero, id est ante obitum praedicti domni Pippini regis, causae commissae vel omnino non moveantur vel salvae usque ad interrogationem nostram reserventur.

[2] Ut episcopi abbates comites et potentiores quique, si causam inter se habuerint ac se pacificare noluerint, ad nostram iubeantur venire praesentiam, neque illorum contentio aliubi diiudicetur, neque propter hoc pauperum et minus potentium iustitiae remaneant. Neque comes palatii nostri potentiores causas sine nostra iussione finire praesumat, sed tantum ad pauperum et minus potentium iustitias faciendas sibi sciat esse vacandum.

[3] Ut quandocumque testes ad rem quamlibet discutiendam quaerendi atque eligendi sunt, a misso nostro et comite, in cuius ministerio de rebus qualibuscumque agendum est, tales eligantur, quales optimi in ipso pago inveniri possunt. Et non liceat litigatores per praemia falsos testes adducere, sicut actenus fieri solebat.

[4] Ut nullus homo in placito centenarii neque ad mortem neque ad libertatem suam amittendam aut ad res reddendas vel mancipia iudicetur, sed ista aut in praesentia comitis vel missorum nostrorum iudicentur.

[5] Ut missi nostri diligenter inquirant et describere faciant unusquisque in suo missatico, quid unusquisque de beneficio habeat vel quot homines casatos in ipso beneficio.

[6] Quomodo eadem beneficia condricta sunt, aut quis de beneficio suo alodem comparavit vel struxit.

[7] Ut non solum beneficia episcoporum abbatum abbatissarum atque comitum sive vassallorum nostrorum, sed etiam

nostri fisci describantur, ut scire possimus quantum etiam de nostro in uniuscuiusque legatione habeamus.

[8] Volumus ut propter iustitias, quae usque modo de parte comitum remanserunt, quatuor tantum mensibus in anno missi nostri legationes suas exerceant, in hieme ianuario, in verno aprili, in aestate iulio, in autumno octobrio. Ceteris vero mensibus unusquisque comitum placitum suum habeat et iustitias faciat. Missi autem nostri quater in uno mense et in quatuor locis habeant placita sua cum illis comitibus, quibus congruum fuerit ut ad eum locum possint convenire.

[9] Ut quicquid ille missus in illo missatico aliter factum invenerit quam nostra sit iussio, non solum illud emendare iubeat, sed etiam ad nos ipsam rem, qualiter ab eo inventa est, deferat.

[10] Ut missi nostri census nostros perquirant diligenter, undecumque antiquitus ad partem regis exire solebant, similiter et freda; et nobis renuntient, ut nos ordinemus quid de his in futurum fieri debeat.

[11] Ut de rebus unde census ad partem regis exire solebat, si ad aliquam ecclesiam traditae sunt, aut reddantur propriis heredibus, aut qui eas retinuerit illum censum persolvat.

[12] Ut unusquisque missorum nostrorum in placito suo notum faciat comitibus qui ad eius missaticum pertinent, ut in illis mensibus quibus ille legationem suam non exercet conveniant inter se et communia placita faciant tam ad latrones distringendos quam ad ceteras iustitias faciendas.

[13] Ut missi nostri populum nostrum iterum nobis fidelitatem promittere faciant secundum consuetudinem iamdudum ordinatam; et ipsi aperiant et interpretentur illis hominibus, qualiter ipsum sacramentum et fidelitatem erga nos servare debeant.

41a. Gottesfriede für die Kölner Kirchenprovinz. Köln 1083 April 20.

Abgedruckt aus Mon. Germ. hist. LL. Bd. II (1837) S. 55—58 linke Kolumne. Die Urkunde ist überliefert in der Form, wie sie der Erzbischof von Köln dem Bischof von Münster mitgeteilt hat; die Schlusspartie, welche wir in eckige Klammern gesetzt haben, ist höchst wahrscheinlich ein späterer Zusatz. — Vgl. S. Herzberg-Fränkel, Die ältesten Land- und Gottesfrieden in Deutschland in: Forschungen zur deutschen Gesch. Bd. XXIII (1883) S. 134 ff.

Sigiwinus sanctae Coloniensis aecclesiae solo nomine episcopus Fritherico confratri et coepiscopo voluntariam tam devotissimi oraminis quam serviminis sui exhibitionem.

Cum nostris temporibus ultra modum tribulationibus variisque angustiis sancta aecclesia in suis membris affligeretur, adeo ut tranquillitas et pax ex integro desperaretur, compatiendo tot pressuris totque periculis subvenire illi Deo propitiante tractavimus; et hoc tandem illi remedium consilio nostrorum fidelium

providimus, ut pacem, quam peccatis nostris exigentibus continuare non potuimus, intermissis saltem diebus quantum nostri iuris fuit aliquatenus recuperaremus. Fecimus enim hoc et profecimus. Convocatis igitur parrochianis nostris ad legitime condictum concilium, quod Coloniae in sancti Petri matricae aecclesia anno dominicae incarnationis 1083, indictione 6, 12 kalend. maii habitum est, ordinatis aliis quod de his facere disposuimus in publico recitari fecimus. Quod postquam ab omnibus aliquamdiu diverso modo tractatum est et retractatum, Deo mediante in unum tandem conventum est et tam clero quam populo pari voto consentientibus quo modo et quibus per annum spaciis observari debeat edocuimus:

Videlicet ut a primo die adventus Domini usque ad exactum epyphaniae et ab intrante septuagesima usque in octavas pentecostes et per totam illam diem et per annum omni die dominica feriaque sexta et in sabbato addita quatuor temporum feria omniumque apostolorum vigilia cum die subsecuta, insuper indifferenter omni die canonice ad ieiunandum vel feriandum statuta vel statuenda hoc pacis decretum teneatur; ut itinerantibus domique manentibus securitatis et quietis tutissima sit traditio, ut cedes et incendia, predas et assultus nemo faciat, nemo fuste et gladio aut aliquo armorum genere quemquam ledat, et ut nemo quavis culpa faicosus ab adventu Domini usque in octavas aepiphaniae et a septuagesima usque in octavas pentecostes tollere praesumat arma scutum gladium aut lanceam vel cuiuscumque prorsus armaturae sarcinam. In reliquis vero diebus, id est in dominicis et 6. feriis omnique apostolorum vigilia cum die subsecuta et omni die ad ieiunandum vel feriandum statuta vel statuenda, arma illis ferre licebit, ea tamen conditione ut nulli quolibet modo lesionem inferant. Si necesse fuerit alicui intra spacium conditae pacis, id est ab adventu Domini usque ad octavas aepiphaniae et a septuagesima usque in octavas pentecostes, exire de nostro episcopatu in alium quo ista pax non tenetur, arma ferat, ita tamen ne alicui noceat, nisi si inpugnetur ut se defendat; reversus autem in episcopatum nostrum statim arma deponat. Si contigerit ut debeat obsideri castellum aliquod, per dies qui infra pacem comprehensi sunt ab impugnatione cessent, nisi ab obsessis impugnentur et repugnare cogantur.

Et ne haec pacis statuta traditio a quavis persona temere et impune violetur, huiusmodi violatoribus in commune ab omnibus est dictata sententia: Si liber vel nobilis eam violaverit, id est homicidium fecerit aut aliquem vulneraverit vel quolibet alio modo defectaverit, absque omni sumptuum aut amicorum interventione a finibus confinium suorum expellatur totumque praedium eius heredes sui tollant et si beneficium habuit, dominus ad quem pertinet illud recipiat. Si vero heredes aliquod illi postquam expulsus fuerit sustentaculum vel solatium impendisse inventi fuerint et convicti, praedium illis auferatur et regiae ditioni mancipetur.

Quod si se purgare de obiectis voluerint, cum duodecim qui eque nobiles vel eque liberi fuerint iurent. Si servus occiderit hominem, decolletur; si vulneraverit, manu puniatur; si alio modo vel pugno sive fuste vel lapide percutiendo defectaverit, detondeatur et excorietur. Si autem cui imputabitur se innocentem probare voluerit, iudicio aquae frigidae se expurget, ita tamen ut ipse et nullus alius pro eo in aquam mittatur. Si autem timens vindictam quae in eum dictata est aufugerit, perpetuae excommunicationi subiacebit, et in quocumque loco auditus fuerit, mittantur illuc litterae, per quas denuncietur omnibus quod excommunicatus est et quod cum eo communicare nulli licitum est. Non debet truncatio manuum in pueris fieri qui nondum duodecim annorum etatem impleverint, sed in illis qui ab etate id est a duodecim annis ad maiorem pervenerunt. Pueri tamen si pugnaverint, verberibus castigentur et a pugnando deterreantur.

Non ledit pacem, si quis delinquentem servum suum vel discipulum vel quolibet modo sibi subditum scopis vel fustibus cedi iusserit. Excipitur etiam ab hac pacis constitutione, si domnus rex publice expeditionem fieri iusserit propter appetendos regni inimicos vel concilium sibi habere placuerit propter diiudicandos iusticiae adversarios. Non violatur pax, si interim dux vel alii comites vel advocati vel qui vice illorum funguntur placita habuerint et secundum quod lex habet in fures et praedones et alios nocentes iudicia exercuerint.

Securitatis gratia omnibus praecipue faicosis huius dominicae pacis statuta traditio est, sed non ut post expletam pacem rapere et praedari per villas et per domos audeant, quia quae in illos antequam ista pax statueretur lex et sententia dictata est legitime tenebitur, ut ab iniquitate prohibeantur, quia praedatores et grassatores ab hac divina et ab omni prorsus pace excipiuntur.

Si quis huic piae institutioni contraire nititur, ut nec pacem cum aliis Deo promittere nec etiam observare voluerit, missam illi nullus presbiterorum in nostro episcopatu cantare praesumat et nullam salutis curam impendat, et si infirmatur, nullus eum christianorum visitare audeat, et viatico etiam in fine si non resipiscit careat. Summa vero Deo promissae pacis et communiter collaudatae ista erit, ut solummodo non nostris temporibus sed in perpetuum apud posteros nostros observetur, quia si quis eam irritare vel destruere aut violare praesumpserit sive hoc tempore seu qui post multos annos circa finem seculi nasciturus erit, a nobis inrecuperabiliter excommunicatus est.

Non magis in comitum aut tribunorum vel potentum, quam in totius communiter populi potestate et arbitrio constabit, ut vindictas superius dictatas violatoribus sanctae pacis inferant; et hoc diligentissime caveant, ne in puniendis amiciciam vel odium vel aliud quod iusticiae contrarium sit exerceant, ne si abscondi possunt delicta aliquorum abscondant, sed potius in publicum deferant. Nullus pro redimendis qui in culpa deprehensi fuerint pecuniam

accipiat nec favore quopiam culpabiles adiuvare contendat, quia qui fecerit intolerabile animae suae iudicium incurrit, ac per omnes fideles meminisse oportet, non homini sed solo Deo hanc pacem promissam fuisse et tanto tenacius firmiusque observandam esse. Quocirca universos obsecramus in Christo, ut ista pacis necessaria taxatio inviolabiliter custodiatur, ut si quis eam deinceps violare praesumpserit, omnino a sanctae aecclesiae filiis sequestretur et banno excommunicationis inrecuperabilis et anathemate mansurae perditionis dampnetur.

In aecclesiis vero et aecclesiarum cimiteriis honor et reverentia Deo praebeatur, ut si illuc confugerit raptor vel fur, minime interficiatur vel capiatur, sed tamdiu inibi obsideatur, donec fame urguente ad deditionem cogatur. Si aliqua persona reo arma victum vel fugam moliri praesumpserit, aequalem poenam sicut reus sustinebit. Clericos vero et omnes sub hoc ordine vitam degentes banno nostro interdicimus laicali vindicta puniri, sed manifesto crimine deprehensi episcopo ipsorum praesententur. Unde laici decollentur, inde clerici degradentur; unde laici detruncentur, inde clerici ab officiis suspendantur et cum consensu laicorum crebris ieiuniis et verberibus usque ad satisfactionem affligantur.

41b. Gottesfriede für das ganze Reich. Mainz 1085.

(Nach Muster des Kölner Gottesfriedens Nr. 41a.)

Abgedruckt aus Mon. Germ. hist. LL. Bd. II (1837) S. 55—58 rechte Kolumne. — Vgl. Herzberg-Fränkel s. Nr. 41a.

Cum nostris temporibus ultra modum tribulationibus sancta ecclesia affligeretur, compatiendo tot pressuris totque periculis subvenire illi Deo propitiante tractavimus, ut pacem, quam peccatis nostris exigentibus continuare non potuimus, intermissis saltem diebus aliquatenus confirmaremus. Anno dominice incarnationis 1085, indictione 8 Deo mediante tam clero quam populo pari consentientibus voto constitutum est:

Ut a primo die adventus Domini usque ad exactum diem epiphaniae et ab intrante septuagesima usque in octavas pentecostes et per totam illam diem omnique feria quinta sexta sabbato dominica die usque ad ortum solis secundae feriae addita feria quatuor temporum omnique apostolorum vigilia cum die sequenti, insuper omni die canonice ad ieiunandum vel feriandum statuta vel statuenda hoc pacis decretum teneatur; quatenus itinerantium domique manentium securitatis sit tutissima traditio, ut cedes et incendia, predas et assultus nemo faciat, nemo fuste aut gladio aut aliquo armorum genere quemquam ledat, et nemo quamvis culpa facosus ab adventu Domini usque in octavas epiphanie et a septuagesima usque in octavas pentecostes tollere arma presumat scutum vel gladium vel lanceam vel cuiuscunque

prorsus armaturae sarcinam. Similiter in reliquis diebus, id *est* dominicis quinta et sexta feria sabbato omnique vigilia apostolorum cum die subsequenti et omni die ad ieiunandum sive feriandum canonice statuta vel statuenda, non licet arma ferre nisi longe euntibus, ea tamen conditione ut nulli quolibet modo lesionem inferat. Si necesse fuerit alicui infra spacium condictae pacis in alium locum, quo pax ista non observetur ire, arma ferat, ita tamen ne alicui noceat, nisi inpugnetur, ut se defendat; reversus autem iterum arma deponat. Si contigerit ut castellum obsideatur, per dies qui infra pacem comprehensi sunt ab inpugnatione cessent, nisi ab obsessis impugnentur et repugnare cogantur.

Et ne haec pacis statuta traditio a quavis persona inpune violetur, ab omnibus dicta est sententia: Si liber vel nobilis eam violaverit, id *est* si homicidium fecerit aut aliquem vulneraverit aut alio quolibet modo defectaverit, absque omni sumptuum aut amicorum interventione finibus confinium suorum expellatur totumque predium eius heredes sui tollant et, si beneficium habuerit, dominus ad quem pertinet illud accipiat. Si vero heredes sui aliquid illi postquam expulsus fuerit subsidium et sustentaculum inpendisse inventi fuerint et convicti, predium illis auferatur et regiae dignitati mancipetur. Quod si se de obiectis purgare voluerit, cum 12 qui eque nobiles ac liberi fuerint iuret. Si servus occiderit hominem, decolletur; si vulneraverit, manu dextra truncetur; si alio modo vel pugno vel lapide sive fuste vel quolibet modo percutiendo defectaverit, verberetur et decapilletur. Si autem cui imputatur se innocentem probare voluerit, iudicio aque frigide se expurget, ita tamen ut ipse et nemo alius pro eo in aquam mittatur. Si autem timens iudicium quod in eum dictatum est aufugerit, perpetuae excommunicationi subiaceat, et in quocunque loco auditus fuerit, mittantur illuc litere, quibus denuntietur illum excommunicatum esse et quod cum eo nulli communicare liceat. Non debet truncatio manuum in pueris fieri qui nondum etatem duodecim annorum impleverint; si qui hanc [pacem] transgressi sunt pueri, tantum verberibus castigentur.

Non infringit pacem, si quis delinquentem servum vel discipulum vel quolibet modo sibi subiectum scopis vel fustibus cedi iusserit. Excipitur etiam ab hac pacis constitutione, si dominus imperator publice expeditionem fieri iusserit propter appetendos regni inimicos vel concilium sibi habere placuerit propter diiudicandos iusticie adversarios. Non violatur pax, si interim dux aut alii comites vel advocati vel qui vicem illorum funguntur placita habuerint et secundum quod lex habet in fures et predones et alios nocentes iudicia exercuerint.

Securitatis gratia omnibus precipue faicosis huius dominice pacis statuta est tradicio, sed non ut post expletam pacem rapere et predari per villas et per domos audeant, quia que in illos antequam ista pax statueretur lex et sententia dictata est diligentis-

sime tenebitur, ut ab iniquitate proibeantur, quia predatores et grassatores ab hac divina pace et ab omni prorsus excipiuntur.

Si quis huic pio constitutioni contraire nititur, ut nec pacem Deo promittere nec etiam observare voluerit, missam illi nullus presbiterorum cantare presumat et nullam salutis curam inpendat; si infirmetur, nullus christianorum eum visitare presumat, et viatico etiam in fine nisi resipiscat careat. Si quis autem illam sive in presenti tempore sive in perpetuum apud posteros nostros violare presumpserit, a nobis inrecuperabiliter excommunicatus est.

Non magis in comitum vel tribunorum sive quorumlibet potentum, quam in totius populi communiter potestate constare sanximus, ut vindictas supra memoratas violatoribus sancte pacis inferant; et hoc diligentissime caveant, ne in puniendo amiciciam vel odium vel aliud quod iustitiae contrarium sit exerceant, ne delicta aliquorum abscondant, sed potius in publicum proferant. Nullus pro redimendis qui in culpa deprehensi fuerant pecuniam accipiat.

Mercatores in itinere quo negotiantur, rustici, dum rusticali operi arando fodiendo metendo et aliis huiusmodi operam dant, omni die pacem habeant. Mulieres autem et omnes sacris ordinibus adtitulati perpetua pace fruantur.

In ecclesiis vero et ecclesiarum cimiteriis honor et reverentia Deo prebeatur, ut si illuc confugerit raptor vel fur, minime capiatur, sed tamdiu ibi obsideatur, donec fame cogente ad deditionem cogatur. Si aliquis defensionem reo arma victum vel fugam moliri presumpserit, equali penae sicut reus subiacebit. Banno etiam nostro interdicimus, ne aliquis sacri ordinis huius sanctae pacis transgressor convictus laicali vindicta puniatur, sed episcopo presentetur. Unde laici decollentur, inde clerici degradentur; unde laici detruncentur, inde clerici ab officiis suspendantur et consensu laicorum crebris ieiuniis et verberibus usque ad satisfactionem affligantur. Amen.

42a. Reichs-Landfriede Heinrichs IV. Mainz 1103 Januar 6.

Abgedruckt aus Mon. Germ. hist. LL. Bd. II (1837) S. 60; es ist ein Referat, in dem nur ein Teil des Friedensinstruments wörtlich angeführt ist. — Vgl. Herzberg-Fränkel (s. Nr. 41a) S. 157 ff.

Anno ab incarnatione Domini 1103 Heinricus imperator Mogontiae pacem sua manu firmavit et instituit, et archiepiscopi et episcopi propriis manibus firmaverunt. Filius regis iuravit et primates totius regni, duces marchiones comites et alii quam multi. Dux Welfo et dux Pertolfus et dux Fridericus iuraverunt eandem pacem usque ad pentecosten et inde per quatuor annos. Iuraverunt, dico, pacem aecclesiis, clericis, monachis, laicis, mercatoribus, mulieribus ne vi rapiantur, Iudeis.

Iuramentum tale est:

Nullus alicuius domum hostiliter invadat nec incendio devastet, nullus aliquem capiat propter pecuniam nec vulneret nec percutiat nec interficiat. Et si quis hoc fecerit, oculos vel manum amittat. Si quis eum defenderit, eandem poenam patiatur. Si in castrum fugerit, per tres dies obsessum a coniuratoribus disperdatur. Si quis effugerit hoc iudicium, beneficium si habet, dominus suus sibi auferat, patrimonium cognati sui illi auferant. Si quis furtum fecerit valens quinque solidos vel plus, oculos vel manum amittat. Si furtum commiserit valens minus quinque solidos, capillos amittat et virgis cedatur et furtum reddat; et si ter tale furtum fecerit vel rapinam tercia vice, oculos vel manum amittat. Si in via occurrerit tibi inimicus tuus, si possis illi nocere, noceas; si fugerit in domum vel in curtem alicuius, illesus maneat.

Hoc iuramento utuntur amici regis pro scuto, inimicis vero nequaquam prodest.

42b. Provinzial-Landfriede in Schwaben. 1104.

Abgedruckt aus Mon. Germ. hist. LL. Bd. II (1837) S. 61; am Schlusse ist die in Form von Randnotizen überlieferte und daher wohl zum Teil in Unordnung geratene Aufzeichnung unvollständig. — Vgl. Herzberg-Fränkel (s. Nr. 41a) S. 159 f.

Talis pax iurata est a duce Friderico et a multis comitibus, episcopo Augustensi et Eistetensi episcopo et utriusque prioribus consencientibus:

Clerici et ecclesiae et cimiteria et dotes aecclesiarum pacem habeant, similiter omnes homines pacem habeant in domibus et in quolibet aedificio et in curiis etiam infra legitimas areas domuum, quas hovestete vulgo vocamus, sive sint septae seu nulla sepe sint circumdatae. Mulieres nullius violentiam paciantur. Mercatores et agricolae pacem habeant. Nullus omnino pro sola causa pecuniae capiatur.

Si quis praedictam pacem infregerit, manum perdere debet. Si quis inculpatus fuerit pro furto vel pro aliqua culpa istius corruptae pacis, ille in quo pax corrupta est vadat ad parrochiam accusati et dicat populo: „Ille N. in hac re corrupit pacem *in* me.“ Et det sibi inducias per quatuordecim dies. Si non habuerit iusticiam infra quatuordecim dies, secundo inducietur sibi per quatuordecim dies, et tercio det sibi inducias per quatuordecim dies; et si inculpatus ad satisfactionem non venerit, reus sit corruptae pacis.

Haec pax hinc usque pascha et a proximo pascha usque ad sequens pascha permanere debet.

Si quis minus quam sexaginta denarii valeant furetur, depiletur et virgis excorietur et in utraque maxilla ferro usque ad

dentes uratur. Si quis sexaginta denarios vel plus quam sexaginta denarii valeant furetur, manus ei abcidatur.

Hanc pacem unusquique ante proximum festum sanctae Mariae debet iurare, vel cum iuramento septem veracium suae condicionis virorum debet se expurgare, quod ipse non audierit ab aliquo hanc pacem esse iuratam: qui hoc non fecerit, manum perdat.

Si quis corruperit istam pacem et aufugerit et latere voluerit, donec ista pax transierit, si quandoque reversus fuerit, eandem penam paciatur quam modo pati deberet. Si quis noluerit iurare dicens: „Nulli noceo nec quisquam nocet mihi!" et qui sciens corruptorem pacis paverit vel receperit vel tutatus fuerit vel pro pecunia vel aliquo modo aufugere eum permiserit, eandem penam quam violator pacis subire debet. Si quis corruptor pacis aufugerit, dux vel comes vel advocatus vel quilibet rector, sub cuius regimine prius fuerat, praedia violatoris pacis auferat et obtineat tam diu, quam diu corruptor pacis vivat, et post corruptoris pacis mortem hereditatem heredes eius assequantur. Dominus autem, a quo beneficia violator pacis obtinuit, beneficia auferat. Si corruptor pacis se in aliqua municione absconderit, ille in quo pax fuit corrupta, faciat apud populum proclamationem et persequatur reum per unum diem et per noctem et cum populo municionem obsideat per tres dies et per tres noctes; et si municio expugnari non potest infra tres dies, dux vel comes cum maioribus ad destruendum castellum advocetur.

Si quis cum laqueis vel cum pedica, quam vulgo drůch dicimus, silvestria animalia, scilicet cervos, hinulos, capreas, capreolos, lepores et cetera ceperit, dominus suus omnia quae habet ei auferat, possessor vero terrae, in qua fera capta fuerit, manum eidem vel dimidiam libram denariorum pro manu auferat. Excipiuntur advocatio ....

43a. Reichs-Landfriede Friedrichs I. [1152—1157.]

(Constitutio de pace tenenda et eius violatoribus.)

Abgedruckt aus Mon. Germ. hist. LL. II (1837) S. 101—103. — Vgl. F. Küch, Die Landfriedensbestrebungen Kaiser Friedrichs I (Diss. Marburg 1887) S. 12 ff.; M. Doeberl, Monum. Germaniae selecta Bändchen IV (1890) die Anmerkung S. 94 ff.

Fredericus Dei gratia Romanorum imperator* semper augustus episcopis ducibus comitibus marchionibus et omnibus, ad quos litterae istae pervenerint, gratiam suam et pacem et dilectionem.

Quoniam divina praeordinante clementia solium regiae maiestatis conscendimus, dignum est, ut cuius praecellimus munere, illi omnino pareamus in operatione. Inde est, quod nos tam di-

---

* Ursprünglich vielleicht rex; s. Küch l. c. S. 15.

vinas quam humanas leges in suo vigore manere cupientes et ecclesias sive ecclesiasticas personas sublimare et ab incursu sive invasione quorumlibet defensare intendentes quibuscumque personis ius suum conservare volumus et pacem diu desideratam et antea toti terrae necessariam per universas regni partes habendam regia auctoritate indicimus. Qualiter autem eadem pax tenenda sit et servanda, in subsequentibus evidenter declarabitur:

[1] Si quis hominem infra pacem constitutam occiderit, capitalem subeat sententiam, nisi per duellum hoc probare possit, quod vitam suam defendendo illum occiderit. Si autem manifestum omnibus hoc fuerit, quod non necessario, set voluntate illum occiderit, tunc neque per duellum nec quolibet alio modo se excusabit, quin capitali dampnetur sententia. Si vero pacis violator a facie iudicis fugerit, res eius mobiles a iudice in populo publicentur et dispensentur; heredes autem sui hereditatem quam ille tenebat recipiant tali conditione imposita, ut iureiurando spondeatur, quod ille pacis violator numquam de cetero ipsorum voluntate aut consensu aliquod emolumentum inde percipiat. Quod si heredes neglecto postmodum iuris rigore hereditatem ei dimiserint, comes eandem hereditatem regiae ditioni assignet et a rege iure beneficii recipiant [wol zu korr.: recipiat].

[2] Si quis alium infra pacis edictum vulneraverit, nisi duello quod vitam suam defendendo hoc fecerit probaverit, manus ei amputetur et sicut superius dictum est iudicetur; iudex ipsum et res eius secundum rigorem iustitiae strictius persequatur.

[3] Si quis alium ceperit et absque effusione sanguinis fustibus percusserit, quod crines eius aut barbam expilaverit, 10 libras ei cui iniuria illata esse videtur per compositionem impendat et iudici 30 libras persolvat. Si vero temerarius absque percussione eum invadat, quod vulgo dicitur asteros hant calida manu, verbis contumeliisque male tractaverit, 10 libras pro tali excessu componat et iudici decem persolvat. Quicumque suo iudici pro excessu viginti libras vadiaverit, praedium suum illi pro pignore tradat et intra 4 septimanas vadiatam pecuniam persolvat; et si intra 4 septimanas praedium suum solvere neglexerit, et heredes sui, si voluerint, hereditatem recipiant et comiti intra 6 septimanas 20 libras persolvant; sin autem, comes eandem hereditatem regiae potestati consignet, proclamancium dampnum restituat et praedium a rege beneficiali iure optineat.

[4] Si clericus de pace violata pulsatus fuerit et notatus et proscriptus fuerit aut pacis violatorem in contubernio suo habuerit et de hiis in praesentia sui episcopi et sufficienti testimonio convictus fuerit, comiti, in cuius comitatu idem clericus hoc perpetraverit, 20 libras persolvat et de tanto excessu secundum statuta canonum episcopo satisfaciat. Si autem idem clericus inobediens extiterit, non solum officio et beneficio ecclesiastico privetur, verum etiam tamquam proscriptus habeatur.

[5] Si iudex pacis aliquem violatorem clamore populi ad

castrum alicuius domini secutus fuerit, dominus idem, cuius esse castrum cognoscitur, ad faciendum iustitiam illum producat; quod si de sua diffisus fuerit innocentia et ante iudicis conspectum venire formidaverit, si mansionem in castro habeat, dominus eius omnia mobilia sub iuramento iudici repraesentet et eum de cetero in domo sua tamquam proscriptum non recipiat; si vero mansionem in castro suo non habuerit, dominus eius secure eum adducere faciat ac postmodum iudex cum populo eum tamquam pacis violatorem persequi non desistat.

[6] Si duo homines pro uno beneficio contendunt et unus super eodem beneficio investitorem producit, illius testimonium, cum investitor donum investiturae recognoscit, comes primo recipiat; et si idem probare poterit ydoneis testibus, quod absque rapina hoc idem beneficium habuit, remota controversiae materia illud optineat; quod si de rapina praesente iudice convictus fuerit, rapinam dupliciter solvat, beneficio careat, nisi iustitia et iudicio dictante illud in posterum requirat.

[7] Si tres vel plures contendunt de eodem beneficio producentes uterque diversos investitores, iudex, in cuius praesentia causa ventilatur, a duobus requirat boni testimonii hominibus in provincia eorundem litigatorum commorantibus per sacramentum quod iuraverint, quis illorum absque rapina eius beneficii possessor extitit, et cognita ex ipsorum testimonio rei veritate possessor beneficium suum quiete optineat, nisi iudicio et iustitia dictante alter de manu sua illud eripiat.

[8] Si rusticus militem de violata pace pulsaverit, de manu sua iurabit, quod non voluntate, sed necessitate hoc faciat; manu quarta se miles expurgabit.

[9] Si miles rusticum de violata pace pulsaverit, rusticus manu sua iurabit, quod non voluntate, set necessario hoc fecit; de duobus unum rusticus eligat: an divino, an humano iudicio innocentiam suam ostendat, aut 6 testibus ydoneis quos iudex elegerit se expurget.

[10] Si miles adversus militem pro pace violata aut aliqua capitali causa duellum committere voluerit, facultas pugnandi ei non concedatur, nisi probare possit, quod antiquitus ipse cum parentibus suis natione legitimus miles existat.

[11] Post natale sanctae Mariae unusquisque comes 7 boni testimonii viros sibi eligat et de qualibet provincia sagaciter disponat et quanto praetio secundum qualitatem temporibus sit annona vendenda, utiliter provideat; quicumque vero contra deliberationem ipsius intra terminum anni modium altius et carius vendere praesumpserit, tamquam violator pacis habeatur et totidem 30 libras comiti persolvat, quanti modios altius vendidisse convictus fuerit.

[12] Si quis rusticus arma vel lanceam portaverit vel gladium, iudex, in cuius potestate repertus fuerit, vel arma tollat vel 20 solidos pro ipsis accipiat a rustico.

[13] Mercator negotiandi causa per provinciam transiens gladium suum suae sellae alliget et super vehiculum suum ponat, ne umquam laedat innocentem, set ut se a praedone defendat.

[14] Nemo retia sua aut laqueos aut alia quaelibet instrumenta ad capiendas venationes tendat, nisi ad ursos apros lupos capiendos.

[15] Ad palatium comitis nullos miles ducat arma, nisi rogatus a comiti. Publici latrones et convicti antiqua dampnentur sententia.

[16] Quicumque advocatiam suam vel aliud quodlibet beneficium inornate tractaverit et a domino suo ammonitus fuerit et non resipuerit in sua perseverans insolentia, ordine iudiciario tam advocatia quam beneficio exutus, si postmodum ausu temerario advocatiam vel beneficium invaserit, pro violatore habeatur pacis.

[17] Si quis 5 solidos aut valens fuerit furatus, laqueo suspendatur; si minus, scopis forfice excorietur et tondatur.

[18] Si ministeriales alicuius domini inter se gwerram habuerint, comes sive iudex, in cuius regimine ea fecerint, leges et iudicia exinde persequatur.

[19] Quicumque per terram transiens equum suum pabulare voluerit, quantum propinquo secus viam stans in loco amplecti potuerit, ad refectionem et respirationem equi sui impune ipsi equo porrigat. Licitum sit, ut herba et viridi sylva sine vastatione aliqua quilibet utatur pro sua comoditate et usu necessario.

43b. Provinzial-Landfriede Friedrichs I. für Rheinfranken. Weissenburg 1179 Februar 18.

(Erneuerung eines alten Landfriedens angeblich Karls des Grossen).

Abgedruckt aus Acta imperii selecta gesammelt von J. F. Böhmer (1870) S. 130—132. — Vgl. F. Küch l. c. (Nr. 43a) S. 56 ff.

Fridericus dei gracia Romanorum imperator et semper augustus. Ex debito imperialis officii tenemur per universum imperium nostrum pro necessitate et statu provinciarum pacem ordinare, ordinatam nostra auctoritate confirmare. Cum itaque in prima dominica quadragesime, que fuit 12. kal. martii, in opido Wizenburc ad faciendas iusticias pro tribunali sederemus, assidentibus nobis principibus [et] nobilibus illius terre, astantibus etiam ministerialibus et provincialibus cunctisque simul devote postulantibus pacem antiquam a predecessore nostro Karolo divo augusto institutam, renovavimus ipsam [et] a proxima pasca ad duos annos inviolabiliter observandam indiximus. Huius autem pacis forma est:

[1] Ville, villarum habitatores, clerici, monachi, femine, mercatores, agricole, molendina, villici qui ad fiscum imperatoris pertinent, venatores et ferarum indagatores, quos weidelude dici-

mus, omni die pacem habeant, nisi hii qui laqueos tendunt et conpedes ponunt, qui nullo die aut loco pacem debent habere.

[2] Si quis habeat inimicum, quem persequi voluerit, persequatur eum in campo absque dampno rerum suarum aut capiat eum statim iudici ipsum representans iudicandum. Quod si reus ad aratrum molendinum seu villam confugerit, firma pace potiatur. Persequi vero inimicum nulli conceditur nisi certis diebus in septimana, videlicet feria secunda, tercia, quarta usque in occasum solis; aliis quatuor diebus plenam pacem habeant. Si quis fugientem inimicum insequitur usque ad villam et inpetu equi, non sua sponte, in villa delatus fuerit, in porta ville lanceam et arma quibus absolvi potest abiciat; in villa autem sacramento asserere tenetur non propria voluntate sed inpetu equi villam intrasse, alioquin violator pacis erit.

[3] Si quis hanc pacem homicidio infregerit, si capitur, capitalem sententiam subibit; si aliquem vulneraverit, manus eius amputetur. Si reus perpetrato maleficio effugerit, per trinas quatuordecim dierum inducias citetur. Si venerit, septima manu se expurget, nisi forte occisi vel vulnerati aliquis amicus eum duello super hoc inpetere voluerit; in quo si ceciderit accusatus de homicidio, collo plectatur; de effusione sanguinis accusatus si ceciderit, manum amittat. Si homicida vel vulnerator in facto deprehensus fuerit et pretenderit quod hoc in defensione vite sue fecerit, cum viris bonis et probatis septima manu se expurget, nisi predicto modo amicus occisi vel vulnerati eum duello convincere voluerit.

[4] Si quis aliquem expoliaverit, confessus aut inde convictus ablata integre restituat et iudici componat; si voluerit expurgari, sola manu se expurget.

[5] Si malefactores legitime citati ad ternas inducias quatuordecim dierum venire contempserint, ipsi et eorum receptatores seu hospites vel etiam fautores proscribantur, nisi de hoc accusati sola manu se expurgaverint. Iudices malefactorum proscriptores ad presentiam imperatoris debent venire et a sua clementia postulare, ut illos sua proscribat auctoritate. Probabunt etiam cum septem viris ternas quatuordecim dierum inducias et earum quamlibet eis legitime datas fuisse. Si vero proscripti in proscriptione imperatoris per annum et diem fuerint, exleges erunt et omni iure de cetero carebunt nec ius aliquod in beneficiis et allodiis habebunt. Taliter proscriptos nec imperator nec iudex alius a proscriptione absolvere debet, nisi prius actori satisfecerit.

[6] Violator pacis a iudice citatus ad iudicium veniat cum triginta gladiis tantum nec plures quam 29., ut ipse sit tricesimus, secum habeat, qui nulla arma preter gladios ferant. In arbitrio iudicis sit, quot homines et que arma habere voluerit.

[7] Iudices ipsi, si aliquem contra huius pacis institutionem leserint vel alicui iniuriati fuerint, de se ipsis iustitiam faciant, alioquin gravatus liberam habeat potestatem super eo querimoniam movendi coram iudici superiori.

[8] Si viator equitans necesse habuerit pascere equum suum, pedem unum ponat in via et falce vel cultro quantum expedit de frugibus resecet et in via equum suum reficiat et inde nihil de frugibus deferat; gramen non incidat, sed in ipso gramine equum suum quod satis est pascat. Qui aliter fecerit pacis violator erit.

[9] Rustici et eorum condicionis viri extra villas euntes nulla arma preter gladios ferant; in villis autem neque gladios neque alia arma portent. In domibus autem quelibet arma habeant, ut si iudex ad emendationem violate pacis eorum auxiliis indiguerit cum armis parati inveniantur, quoniam in hoc articulo iudicem sequi tenentur pro iudicis arbitrio et rei necessitate.

[10] Si quis in aliqua villa vel in alio loco qu*e*m in civitatibus habuerit hominem quem asserat suum proprium esse vel advocatitium illius loci iudici querimoniam moveat, iudex conquerenti iusticiam faciat. Si vero iudex illum per vim defendere voluerit ne domino conquerenti satisfaciat, ipse iudex teneatur actori coram superiori iudice respondere.

[11] Statuimus etiam et imperiali auctoritate precipimus principibus nobilibus liberis et ministerialibus, ut persequantur predones fures latrones falsarios monetarum et qui eos hospitantur qui dicuntur cern.

[12] Item quandam sententiam antiquam iustam sed diu sopitam renovavimus, cuius promulgationi curia nostra assensum dedit. Hec autem sententia talis est: qui nocturna incendia commiserint et ea commisisse non negaverint, omni iure prive*n*tur nec in beneficiis sive allodiis aliquod ius obtinea*n*t.

[13] Hec pacis statuta in his finibus observanda indiximus et extendenda: usque ad pontem Luthericheswilre ubi finitur episcopatus Spirensis et potestas iurisdictionis langravii in terra Spirchowe, et descendet ultra Musellam usque in terram Meinevelt et ubi duo episcopatus iunguntur Coloniensis et Trevirensis, hinc usque ad Saram fluvium et ultra Renum ubi finitur comitatus comitis Bertoldi de Creigowe et comitis Heinrici de Grezengen et descensu per totam montanam stratam que Berstrate nominatur, inde usque Eichenbu*h*el ubi incipit episcopatus Wircenburgensis, inde usque ad pontem Fuldensem ubi finitur comitia comitis Berdoldi de Nouringes, et per totam terram Wethereibe, inde per Altitudine*m* in comitatum comitis Heinrici de Dietse et per provinciam comitis Růberti de Nassowe usque ubi finitur archiepiscopatus Coloniensis et Treverensis et per totam terram Einriche et per totam Ringowiam.

Huius pacis ordinationi et confirmationi testes aderant principes nobiles excellentes viri: Cůnradus palatinus comes Reni, comes Emicho de Liningen, comes Symon de Sarbrugge, comes Godfridus de Spanheim, comes Emicho de Bouninburc et frater suus Conradus, Bernardus Silvestris comes, comes Theodericus de Merburc, Gerhardus de Schowenburc et frater suus Berdoldus, Godefridus de Horningen et alii quam plures.

Acta sunt hec in Wizenburc, anno domini 1179, indictione 12.

44. Reichs(Landfriedens)-Gesetz Friedrichs II. Mainz 1235 August.

Abgedruckt aus Mon. Germ. hist. LL. II (1837) S. 313—318. Die ursprüngliche, gleichzeitig ausgefertigte deutsche Uebersetzung ist nicht erhalten, aber spätere Bearbeitungen derselben, worüber H. Böhlau in der gleich anzuführenden Schrift handelt. — Vgl. ausser den in Nr. 5—6 citirten Schriften E. Winkelmann, Geschichte Kaiser Friedrichs des Zweiten und seiner Reiche 1212—1235 (1863) S. 474 ff.; H. Böhlau, Novae constitutiones domini Alberti d. i. der Landfriede v. J. 1235 mit der Glosse des Nicolaus Wurm (1858); W. Wyneken, Die Landfrieden in Deutschland von Rudolf von Habsburg bis Heinrich VII (Diss. Göttingen 1887).

Fridericus secundus divina favente clemencia Romanorum imperator semper augustus Ierusalem et Sicilie rex.

Imperialis eminencie solium nutu divine provisionis adepti circa regimen subiectorum consilia nostra duplici vinculo pacis et iusticie roboranda providimus, ut per hec nominis nostri celebritas habeat quod sibi servet ad gloriam, subditis ad salutem. Ex his enim precipue munitur auctoritas imperantis, cum in observancia pacis et execucione iusticie quantum terribilis est perversis, tantum est desiderabilis mansuetis. Proinde cum ad commissam nobis rem publicam gubernandam nos urgens cura sollicitet, ut sub felici nostrorum temporum statu circa subiectos nobis imperii populos vigeat pacis et iusticie moderamen, licet per totam Germaniam constituti vivant in causis et negociis privatorum consuetudinibus antiquitus traditis et iure non scripto, quia tamen ardua quedam, que generalem statum et tranquillitatem imperii reformabant, nondum fuerant specialiter introducta, quorum partem aliquam, si quando casus trahebat in causam, ficta magis opinio quam statuti iuris aut optente contradictorio iudicio consuetudinis sentencia terminabat, de consilio et assensu dilectorum principum ecclesiasticorum et secularium in sollempni curia celebrata Moguncie constitutiones quasdam certis capitulis comprehensas presentibus eisdem principibus nobilibus plurimis et aliis fidelibus imperii fecimus promulgari; quas in publica munimenta redactas ab universis et singulis iussimus inviolabiliter observari pena contra transgressores sacrarum constitutionum edita, prout violate maiestatis decus et facilitas exigit delinquentis.

[1] De ecclesiasticis sentenciis in causis spiritualibus observandis. Libertates ecclesiarum et iura tanto liberalius nostra debet fovere clemencia, quanto devocius nobis ab eisdem et earum rectoribus in spiritualibus et temporalibus servicium exhibetur. Statuimus igitur firmiter et districte precipimus, ut in civitatibus opidis villis et omnibus locis sacri nostri imperii episcoporum et archidiaconorum iurisdictioni nullus iniuste resistat, set eorum ordinationes et iuste sentencie in causis ecclesiasticis observentur.

[2] De advocatis ecclesiarum. Statuimus insuper et districte iubemus, ut omnes ecclesiarum advocati fideliter eas pro viribus et posse suo defendant, sicut divinam graciam et nostrum dili-

Ergo si qua inibi in villis mancipiis vel reliquis quibuscumque rebus atque pecoribus aut regio munere aut suprascriptorum virorum vel cuiuslibet est delegatum aut deinceps fuerit additum, dum super nostra est ut diximus largitate constructum, nullus episcoporum, nec praesentes nec qui fuerint successores, aut eorum ordinatores vel quaelibet persona possit quoquo ordine de loco ipso auferre aut aliquam potestatem sibi in ipso monasterio adoptare vel aliquid quasi per commutationis titulum minuere aut de mysterii ornamentis vel de oblatione in altario illata abstollere; nec ad ipsum monasterium vel cellulas eius nisi pro lucranda oratione et episcopus, nisi fuerit cum voluntate ipsius abbatis vel suae congregationis, absque gravi dispendio eorum accedere praesumat; quo facilius liceat monachis ipsius in Dei nomine regulariter consistentibus rectam delegationem sub quiete per tempora possidere. Et cum abbas ille fuerit de saeculo evocatus, quem ex semetipsis ipsa congregatio elegerit sibi, secundum sanctam regulam seniorem instituat per omnia et ex omnibus secundum delegationis votum vel huius seriem auctoritatis suffultum, cui absque ulla inquietudine ibidem cuncta proficiant in augmentum. Adicientes, ut nulli penitus iudicum vel cuilibet hominum licentia sit de rebus praefati monasterii absque servorum Dei voluntate aliquid defraudare aut temerario spiritu quidquam exinde suis usibus usurpare, ne, quod primitus est, divinam incurrat et nostram offensam [et] a fisco grave damnum sustineat. Illud etiam nobis pro integra mercede nostra vel suprascriptorum virorum pensantes merita placuit addendum, ut tam quae ex nostra largitate, quam quae ex delegatione ipsorum Dadonis vel germanorum suorum seu genitoris eorum vel quorumlibet ibidem est aut fuerit devoluta possessio quoquo tempore, nulla publica iudiciaria potestas, nec praesens nec succidua, ad causas audiendum aut aliquid exactandum ibidem non praesumat ingredi; sed sub omni emunitate hoc ipsum monasterium vel congregatio sua sibimet omnes fredos concessos debeat possidere, vel quicquid exinde fiscus forsitan de eorum hominibus aut de ingenuis aut de servientibus aut in eorum agris commanentibus vel undecumque poterat sperare, ex indulgentia nostra in luminaribus ipsius sancti loci vel stipendia servorum Dei tam nobis in Dei nomine viventibus quam per tempora succedentibus pro mercedis compendio debeant cuncta proficere, ut pro aeterna salute vel felicitate perenni seu regni constantia delectet ipsis monachis inmensam Dei pietatem iugiter implorare.

Quod praeceptum decreti nostri Christo in omnibus suffragante ut firmius habeatur, subscriptionem manus nostrae infra studuimus perarari.

Dagobertus rex subscripsit.
Dado obtulit.
Data sub die kalendarum octobris. Anno XIIII. regni nostri. Clippiaco. In Dei nomine.

49b. Immunitätsprivileg Childerichs II für das Kloster Montier-en-Der (Diözese Châlons sur Marne). 673 Juli 4.

Abgedruckt aus Mon. Germ. hist. (Folioserie) Diplomata imperii I (1872) S. 30 f. Nr. 31. Die Sprache ist wie in Nr. 49a überarbeitet. — Vgl. die bei Nr. 49a angeführten Schriften und Formulae Marculfi l. c. S. 43 f. Nr. 3.

[Childericus rex Francorum vir inluster.] Celsitudo regalis clementiae religiosorum virorum petitionibus semper debet annuere, maxime gerentibus studium curae aecclesiasticae, quatinus divinum cultum exhibentibus benigno affectu subveniat et opem suae defensionis impendat, ut eorum oratio apud Domini clementiam nobis succurrat et pro pace et stabilitate regni nostri iugiter interveniat.

Quapropter ad notitiam cunctorum pervenire iubemus, quoniam adiit serenitatem nostram venerandus ac religiosus abbas Bercharius supplicans, ut concederemus ei quendam locum in foreste Dervo et in fine Wasciacinse, in quo sibi liceret construere monasterium, et ut daremus sumptus ac praedia, per quae ea quae competerent monasterio vel locis cellarum compleret et monachorum congregationem ibidem aptaret. Placuit igitur eminentiae nostrae summi viri supplicatio, et quae postulaverat concessimus illi. Qui monasterium construens supra fluvium Vigore in honore beatorum Petri et Pauli vel ceterorum sanctorum petiit altitudinem nostram, ut pro rei totius firmitate integram emunitatem circa ipsum monasterium contraderemus.

Nos igitur caelesti beneficio promoti, consensu episcoporum et optimatum nostrorum precibus tanti viri aurem accomodantes iubemus, ut de omni facultate ipsius monasterii tam quod ego ipse ibidem delegavi quam etiam quod a reliquis christianis hominibus noscitur esse condonatum quodque ad praesens in quibuslibet locis territoriis et ex eius haereditate vel studio tam ultra Ligerim, in Herla scilicet et Saturiaco vel Domnofronte cum appenditiis suis et Disco cum appendiciis suis, quam etiam citra Ligerim possidere videntur seu quod ibidem adhuc inantea in Dei nomine a christianis hominibus iuste et rationabiliter fuerit additum vel condonatum, pro quiete ipsius regni nostri integram emunitatem pro reverentia ipsius sancti loci concedimus, ut nullus iudex publicus quolibet modo iudiciaria accinctus potestate in curtes ipsius monasterii, ubicunque ad praesens eorum maneat possessio vel dominatio aut quod inantea, ut diximus, fuerit additum vel condonatum, nec ad causas audiendum nec fideiussores tollendum nec

freda exigendum nec mansiones faciendum nec rotaticum infra urbes vel in mercatis extorquendum [ingredi] nec ullas paratas aut quaslibet redibutiones exactare praesumatur, sed in omni facultate ipsius monasterii, ut praefatum est, in omnibus locis et territoriis, ubi aliquid possidere videntur, absque interdictu [wol zu korr.: introitu] iudicum remotis et resecatis omnibus petitionibus de partibus fisci usque super ripam fluvioli Magnentis progrediente in directum termino ad locum, qui Vallis Profunda nuncupatur, sub emunitatis nomine inconcusse tam nostris quam futuris temporibus valeant dominari vel possidere; quo fiat, ut et nos de praestito beneficio ad mercedem pertineat et ipsos servos Dei in ipso monasterio consistentes melius delectet pro stabilitate regni nostri adtentius Domini misericordiam deprecari.

Et ut haec emunitas firmior habeatur et per tempora conservetur, manus nostrae ac fidelium nostrorum tam episcoporum quam optimatum subscriptionibus subter eam decrevimus corroborari.

Signum Reoli episcopi. S. Leodegarii episcopi. S. Atelani episcopi. S. Vulfaudi maioris domus. S. Amalrici.

Data IIII nonas iulii. Anno tercio regni Childerici regis. Actum Compendio palatio.

49c. Immunitäts- und Schutzprivileg Ludwigs des Frommen für das Bistum Viviers. 815 Juni 15.

Abgedruckt aus (M. Bouquet), Recueil des historiens des Gaules et de la France Bd. VI (1749) S. 479 f. — Vgl. Böhmer-Mühlbacher, Die Regesten des Kaiserreichs unter den Karolingern I (1889) S. 228 Nr. 565; ferner die bei Nr. 49a angeführte Abhandlung Sickel's speziell S. 236 ff., und Formulae Marculfi l. c. S. 295 Nr. 12.

In nomine Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi Ludovicus divina ordinante providentia imperator augustus.

Si sacerdotum ac servorum Dei justis petitionibus acquiescimus, hoc nobis sane ad æternam beatitudinem provenire confidimus. Idcirco comperiat omnium fidelium nostrorum præsentium scilicet et futurorum industria, quia vir venerabilis Thomas, episcopus Albensium seu Vivariensium, veniens ad nos deprecatus est celsitudinem nostram, ut pro nostræ mercedis augmento prædictam sedem cum fratribus ibidem Domino servientibus sub nostra defensione et immunitate reciperemus. Cujus petitioni assensum præbentes per nostræ auctoritatis præceptum confirmare studuimus. Præcipientes ergo jubemus, ut nullus judex publicus neque quislibet ex judiciaria potestate seu aliquis ex fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ ac nostris in ecclesias aut loca vel agros seu reliquas possessiones, quas moderno tempore juste et rationabiliter possidere videtur in quibuslibet pagis et territoriis vel

quidquid etiam deinceps proptor divinum amorem ibidem collatum fuerit, ad causas audiendas vel freda exigenda aut mansiones aut paratas faciendas aut fideiussores tollendos aut homines ipsius ecclesiae tam ingenuos quam servos injuste distringendos sive ullas redibitiones vel illicitas occasiones requirendas ullo unquam tempore ingredi audeat vel ea quæ sunt supra memorata exactare præsumat, sed liceat servis Domini ibidem consistentibus sub nostra defensione et immunitatis tuitione perpetuo tempore quiete residere et pro nobis ac conjuge proleque nostra seu pro stabilitate totius imperii nostri a Domino nobis collati et eius clementissima miseratione iugiter conservandi Domini misericordiam exorare.

Et ut hæc auctoritas verius certiusque credatur, manu propria subscripsimus et annuli nostri impressione signari iussimus.

Signum domni Ludovici serenissimi imperatoris.

Datum 17. kal. iulii anno 11 imperii domni Ludovici augusti, indict. 8. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter amen.

49ᵈ. Immunitäts- und Schutzprivileg Ludwigs des Deutschen für einen dem Regensburger Kloster St. Emmeram geschenkten Güterkomplex. 853 Januar 18.

(Mit näherer Bestimmung der vogteilichen Gerichtsbarkeit.)

Abgedruckt aus Monumenta Boica Bd. XXVIII (1829) S 45—47, verbessert aus anderen Drucken. — Vgl. Böhmer-Mühlbacher, Regesten des Kaiserreichs unter den Karolingern Bd. I (1889) S. 537 Nr. 1363; G. Waitz, Deutsche Verfassungsgesch. Bd. IV (zweite Aufl. 1885) S. 452 ff.; Th. Sickel, Beiträge zur Diplomatik V in: Sitzungsberichte der philos.-histor. Klasse der Akademie der Wissensch. zu Wien Bd. IXL (1865) S. 311 ff.

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Hludowicus divina favente gratia rex.

Si petitiones servorum Dei iustas et rationabiles ad effectum usque perducimus, non solum regium morem decenter implemus, verum etiam hoc nobis procul dubio ad aeternae remunerationis praemia cappessenda profuturum liquido profuturum credimus.

Quapropter conperiat omnium fidelium sanctae Dei ecclesiae nostrorumque praesentium scilicet et futurorum industria, qualiter vir venerabilis Erchamfridus Reganesburgensis ecclesiae episcopus obtulit obtutibus nostris quandam traditionem: quod Wilihelmus comes ob Dei amorem et animae suae remedium ad monasterium sancti Hemmerammi tradiderat omnem proprietatem suam, quod ille habere videbatur infra duo flumina, id est inter Agastam et Nardinam, a locis videlicet ubi ipsa in Danubium fluunt usque ad loca ubi de venis in amnes dirivantur, et ita usque in Nortuualt in hanc partem silve sine termini conclusione, cum domibus

et aedificiis reliquis et mancipiis atque manentibus, pratis pascuis silvis aquis aquarumve decursibus mobilibus et immobilibus cultis vel incultis, quicquid habuit; etiam et res illas, quas Engilrade conjugi suae ad dies vitae suae habere concesserat et post obitum illius ad eandem traditionem sancti Hemmerammi pertinere constaret; insuper et quicquid ad Rosdorf habere videbatur omnia et ex omnibus rebus ex illa parte Danubii, quicquid sibi pertinebat in mancipiis et aedificiis ac vineis cultis vel incultis totum et integrum ad iam dictum sanctum locum tradidit atque pleniter delegavit. Sed pro integra firmitate ac securitatis studio memoratus Erchamfridus episcopus atque familiaris noster petiit celsitudinem nostram, ut eandem traditionem per nostrum mansuetudinis praeceptum confirmare deberemus. Cuius petitioni denegare noluimus, sed sicut unicuique fidelium nostrorum iuste petentium ita nos illi concessisse atque in omnibus confirmasse omnium fidelium nostrorum cognoscat magnitudo.

Propterea hos apices serenitatis nostrae circa ipsum monasterium fieri decrevimus, per quos praecipimus atque iubemus, ut omnes res, quas praedictus comes Wilihelmus tradiderat atque consignaverat, per hanc nostram auctoritatem ad iam dictum sanctum locum in perpetuum consistant. Etiam statuentes firmiter jubemus, ut omnes homines, qui super easdem res commanere noscuntur et ad praefatum monasterium pertinere videntur, tam Baioari quamque Sclaui, liberi et servi, et inantea consistere Domino donante potuerint. Nullus iudex publicus neque ulla potestas eos in quoquam constringere audeat, sed neque illorum causam abstrahere praesumat nec in aliam partem ire conpellat; sed liceat rector*ibus* et ministris et advocatis eiusdem sedis res superius nominatas legaliter possidere ac regere et omni tempore sub nostra defensione atque inmunitatis tuitione plenius consistere. Si vero aliquis fuerit, qui contra istis hominibus superius conscriptis aliquas iusticias requirere aut exactare voluerit, tunc advocati et ministri ipsius monasterii illud prout iustum est diligenter rei veritatem inquirere studeant et emendent. Similiter quoque praecipimus atque omnimodis iubemus, ut nullus iudex publicus neque ex iudiciaria potestate super rebus quae pertinent ad Erlafa et in Herilungevelde necnon et ad Sirnicha et circa Agasta seu Bernsnicha atque Rostorf vel infra praedicta terminia et marka*m*, ubi res sancti Petri et sancti Hemmerammi noscuntur pertinere, neque super hominibus liberis vel Sclauis ullam potestatem habeat in quoquam illos distringendos, sed neque ad placitum ullum vel in hostem ullo umquam tempore ire conpellat, quamdiu advocati eiusdem sedis iustitiam facere voluerint; sed sicut diximus cum omni integritate praenominatas res in futurum sub nostra defensione et immunitatis tuitione absque alicuius contrarietate aut inpedimento consistant.

Et ut haec auctoritas concessionis atque confirmationis nostrae firmior habeatur et per futura tempora a cunctis fidelibus sanctae

Dei ecclesiae nostrisque presentibus et futuris verius credatur atque diligentius conservetur, manu propria nostra subter eam firmavimus et anuli nostri inpressione adsignari jussimus.

Signum domni Hludowici gloriosissimi regis.

Comeatus notarius ad vicem Radleici recognovi et subscripsi.

Data 15. kld. februarias anno Christo propitio 20 regni domni Hludowici serenissimi regis in orientali Francia, indictione prima, actum Reganesburg civitate in Dei nomine feliciter amen.

49e. Immunitätsprivilegien für Weltliche.

Abgedruckt α) aus Formulae Marculfi lib. I Nr. 14 in Mon. Germ. hist. (Quartserie) Legum sectio V. Formulae I ed. K. Zeumer (1882) S. 52 f., β) aus (M. Bouquet) Recueil des historiens des Gaules et de la France Bd. VI (1749) S. 472. — Vgl. G. Waitz, Deutsche Verfassungsgesch. Bd. II, 2 (3. Aufl. 1882) S. 340 f., Bd. IV (2. Aufl. 1885) S. 457 ff.; Böhmer-Mühlbacher, Regesten des Kaiserreichs unter den Karolingern Bd. I S. 225 Nr. 547.

α) Kanzleiformular für eine kgl. Schenkung mit Immunität an einen weltlichen Grossen. Ende des 7. Jahrhunderts.

Merito largitatis nostrae munere sublevantur, qui parentibus nostris vel nobis ab aduliscentia aetatis eorum instanti famulantur officio.

Ergo cognuscat magnitudo seo strenuetas vestra, nos inlustri viro lui prumptissima volontate villa nuncupante illa, sitam in pago illo cum omni merito et termino suo in integritate, sicut ab illo (*aut*: a fisco nostro) fuit possessa vel moderno tempore possedetur, visi fuimus concessisse.

Quapropter per presentem auctoritatem nostram decernemus, quod perpetualiter mansurum esse iobemus, ut ipsa villa illa antedictus vir ille, ut dixemus, in omni integritate cum terris domibus aedificiis accolabus mancipiis vineis silvis campis pratis pascuis aquis aquerumvae decursibus farinariis adiecentiis adpendiciis vel qualibet genus ominum dicione fisci nostri subditum, qui ibidem commanent, in integra emunitate absque ullius introitus iudicum de quaslibet causas freta exigendum perpetualiter habeat concessa, ita ut eam iure proprietario absque ullius expectata iudicum tradicione habeat teneat atque possedeat et suis posteris Domino adiuvante ex nostra largitate aut cui voluerit ad possedendum relinquat vel quicquid exinde facire voluerit ex nostro permisso liberam in omnibus habeat potestatem.

Et ut haec auctoritas . . . .

β) Immunitätsprivileg Ludwigs des Frommen. 815 Januar 1.

In nomine domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi Hludovicus divina ordinante providentia imperator augustus.

Omnibus fidelibus sanctae Dei ecclesiae et nostris praesentibus scilicet et futuris [notum sit], qualiter quidam homo fidelis noster nomine Johannes veniens in nostra praesentia in manibus nostris se commendavit et petivit nobis sua aprisione quicquid genitor noster ei concesserat ac nos, et quicquid ille occupatum habebat aut aprisionem fecerat vel deinceps occupare aut prendere potebat sive filii sui cum homines eorum, et ostendit nobis exinde auctoritate, quod genitor noster ei fecit. Nos vero alia ei facere jussimus sive melioravimus. Et concedimus eidem fideli nostro Johanne in pago Narbonense villare Fontes et villari Cello Carboniles cum illorum terminos et pertinencias cultum et incultum ab integro, et quantum ille in villa Fontejoncosa vel in suos terminos sive in aliis locis vel villis sive villares occupavit sive aprisionem fecit una cum suis hominibus vel deinceps facere poterit tam ille quam filii sui, omnia per nostrum donitum habeant ille et filii sui et posteritas illorum absque ullum censum vel alicujus inquietudine. Et nullus comes nec vicarius nec juniores eorum nec ullus judex publicus illorum homines, qui super illorum aprisione habitant aut in illorum proprio, distringere nec judicare praesumant; sed Johannes et filii sui et posteritas illorum illi eos judicent et distringant. Et quicquid per legem judicaverint, stabilis permaneat; et si extra legem fecerint, per legem emendent.

Ut haec auctoritas nostra firmius permaneat, dum ille et filii sui et posteritas illorum ad nos et ad filios nostros aut ad posteritate illorum fideles extiterint, et ut credatis, de anulo nostro impressione signari jussimus.

Durandus diaconus ad vicem Helisachar recognovit.

Data kal. ianuarias anno Christo propitio primo imperii domni Hludovici piissimi augusti, indictione VIII. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter amen.

49f. Immunitätsprivileg Ottos I für das Bisthum Speier. 969 Okt. 4.

Abgedruckt aus Mon. Germ. hist. (Quartserie) Diplomata Bd. I (1879—1884) S. 520 f. — Vgl. G. Waitz, Deutsche Verfassungsgesch. Bd. VII (1876) S. 232 ff.

In nomine sancte et individue trinitatis. Otto divina ordinante clemencia imperator augustus.

Omnibus fidelibus sancte Dei ecclesie nostrisque presentibus scilicet et futuris notum sit, quia si sacerdotum ac servorum Dei peticiones quas nobis pro suis necessitatibus innotuerint ad effectum perducimus, non solum imperialem exercemus consuetudinem, verum eciam ad beate retribucionis mercedem talia nobis facta proficere confidimus.

Quapropter comperiat omnium fidelium sancte Dei ecclesie nostrorumque presencium scilicet et futurorum industria, quia vir

venerabilis Otkarius Nemetine vel Spire civitatis episcopus adiit nostram clemenciam postulans, ut ecclesie cui preesse videtur, que est constructa in honore sancte Dei genitricis semperque virginis Marie, ob mercedis nostre augmentum et firmitatis studium eidem monasterio nostram auctoritatem atque immunitatis tuicionem fieri iuberemus.

Cuis peticioni propter divinum amorem et veneracionem beate Marie semperque virginis adsensum prebuimus et hos apices serenitatis nostre circa ipsam sedem fieri iussimus, per quos decernimus atque iubemus, ut nullus [dux sive] comes vel ullus publicus iudex ex iudiciaria potestate aut aliqua cuiuslibet potestatis ignota persona nisi solus [episcopus et] advocatus familie sancte Dei genitricis Marie in civitate Spira vel Nemeta vocata aut foris murum eiusdem civitatis, id est in villa Spira [et marca] que eidem urbi adiacens est, nullus ex iussione et concessione nostra deinceps publicus placitus presumat habere nec ullus hominum ex fidelibus sancte Dei ecclesie ac nostris in ecclesiis aut locis vel agris seu in reliquis possessionibus prefate ecclesie quas moderno tempore iuste et racionabiliter possidere videtur in quibuslibet pagis vel territoriis, vel quicquid ibidem propter divinum amorem et veneracionem beate Marie semper virginis collatum fuerit, ad causas audiendas vel freda exigenda aut mansiones vel paratas faciendas aut fideiussores tollendos aut ullas reddibiciones vel inlicitas occasiones requirendas aut homines ipsius ecclesie tam ingenuos qum servos iniuste constringendos ullo umquam tempore inire audeat vel ea que supra memorata sunt penitus exigere aut exactare presumat; sed liceat ibidem Deo famulantibus sub nostre immunitatis tuicione quieto ordine vivere ac residere, quatinus melius illis delectet omni tempore pro nobis et coniuge proleque nostra atque stabilitate tocius regni a Deo nobis collati Domini misericordiam attencius exorare.

Et ut hec auctoritas concessionis atque confirmacionis nostre firmior habeatur et per futura tempora a cunctis fidelibus sancte Dei ecclesie nostrisque presentibus et futuris melius credatur atque diligencius conservetur, manu propia nostra subter eam firmavimus et anuli nostri inpressione assignari iussimus.

Signum domni Ottonis magni et invictissimi imperatoris augusti.

Liutherius cancellarius advicem Hattonis archiepiscopi et archicancellarii recognovi et subscripsi.

Data IIII. nonas octobris anno dominice incarnacionis DCCCCLXVIIII, indictione XIII, anno regni serenissimi regis Ottonis XXXV, imperii scilicet sui in Italia VIII, actum in Tuscania in villa Brenta super fluvium Mersa prope civitatem que dicitur Sena, in Christi nomine feliciter amen.

49g. Immunitätsprivileg Ottos I für das Erzbisthum Hamburg-Bremen und dessen Klöster. 937 Juni 30.

Abgedruckt aus Mon. Germ. hist. Diplomata (s. Nr. 49f) S. 98 f. — Vgl. G. Waitz l. c. bei 49f.

Ueber die Immunitätsprivilegien späterer Zeit s. Waitz l. c. (No. 49f) S. 244 ff.

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Otto divina favente clementia rex.

Qui mundiali potestate praediti quibuscumque necessariis regentium suffragari festinant, divinam sibi nihil refragari certissime sciant, ideoque non dedignamur affectum ad nos confugientium perducere ad affectum, quia ob hoc temporalis regni modificationem nobis pariter speramus et amplificationem aeternalisque proventuram perpetuo perennitatem.

Unde noverit omnium fidelium nostrorum praesentium scilicet et futurorum sagacitas, quod Adaldag sanctae Hammaburgensis aecclesiae venerabilis archiepiscopus adiens excellentiam serenitatis nostrae expetivit a nostra pietate talem libertatem et tuitionem monasteriis in eius episcopio consistentibus, qualem cetera per nostrum regnum monasteria noscuntur habere.

Cuius quoniam iusta et rationabilis videtur petitio, ad honorem sanctae Dei genitricis Mariae, cui locus ille Hammaburg est consecratus, eidem loco supradicto concedimus omnes concessiones, quas concesserant anteriores Francorum reges, caeterisque monasteriis ad hanc diocesim pertinentibus, id est Rhamaslahun Bremun Biresinun Bukkiun, videlicet ut nullus iudex publicus vel quaelibet iudiciaria potestas aliquam sibi vindicet potestatem in supradictorum hominibus monasteriorum, litis videlicet et colonis, vel eos aliquis capitis banno ob capitis furtum vel quocumque banno constringat aut aliquam iusticiam facere cogat, nisi advocatus archiepiscopi, quamdiu eos corrigere valuerit; quod si quisquam illorum incorrigibilis extiterit, ut ab eo corrigi non valuerit, tunc ab advocato isdem praesentetur iudiciariae potestati, ceteri vero in subditione archiepiscopi permaneant.

Si vero aliquis ex libertis voluerit iamundling vel litus fieri aut etiam colonus ad monasteria supradicta cum consensu coheredum suorum, non prohibeatur a qualibet potestate, sed habeat licentiam nostra auctoritate; habeat quoque potestatem praedictus Adaldag successoresque eius Hammaburgensis aecclesiae archiepiscopi super libertos et iamundilingos monasteriorum supradictorum in expeditonem sive ad palatium regis.

Donamus quoque clericis Hammaburgensis aecclesiae potestatem inter se sive aliunde eligendi episcopum, cum necessitas poposcerit.

Et ut haec auctoritatis nostrae concessio a fidelibus nostris verius credatur et per succedentia tempora diligentius observetur, manu propria subtus eam firmavimus et anulo nostro sigillari iussimus.

Signum domni Ottonis invictissimi regis.

Poppo cancellarius advicem Friderici archicancellarii recognovi et ss.

Data II. kal. iul. anno domini DCCCCXXXVII, indictione x, anno regni Ottonis piissimi regis I, actum in Uuerlaha, in Dei nomine amen.

50a. Uebertragung der gräflichen Einkünfte in Toul an den Bischof durch Heinrich I. 927 Dec. 28.

Abgedruckt aus Mon. Germ. hist. Diplomata Bd. I (1879—1884) S. 52. — Vgl. G. Waitz l. c. (No. 49f) S. 235 ff., wobei aber zu bemerken, dass die Worte „totumque dominium cum iurisdictionis honore et potestate" nach Th. Sickel (in den Anmerkungen zur Ausgabe in den Mon. Germ. l. c.) höchst wahrscheinlich als spätere Einschiebsel anzusehen sind.

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Henricus divina favente clementia rex.

Noverit omnium fidelium nostrorum praesentium scilicet et futurorum sagacitas, quia nos rogatu Ebarhardi fidelis et dilecti comitis atpue propinqui nostri concessimus ecclesiae sanctae Dei genitricis Mariae ac beati prothomartyris Stephani, quae infra Tullensis civitatis muros sita videtur et cui tempore praesenti Gauzilinus praesul venerandus praeesse dignoscitur, omnem exactionem comitatus eiusdem civitatis, annualis videlicet seu septimanalis thelonei quaestus pariterque vectigal quod vulgo vocatur rotaticum (totumque dominium cum iurisdictionis honore et potestate?).

Unde ob aeternae remunerationis augmentum atque praedicti pontificis dilectionem, quem erga nostram serenitatem noveramus promptissimum ed roborandam huius nostrae concessionis munificentiam hoc conscribi iussimus praeceptum, omnino praecipientes ut nullus comes nec aliquis reipublicae nostrae executor vel qualiscumque exactor illud immutare aut quacumque callida tergiversatione infringere praesumat, sed omni seculari dominatione seclusa in ius et potestatem praefatae sedis omni tempore hoc quod divinitus inspirati donamus permaneat et per eundem episcopum ipsiusque successores iure perpetuo possideatur.

Et ut haec serenitatis nostrae auctoritas stabilis servetur, manu nostra subter eam firmavimus anuloque nostro insigniri praecepimus.

Signum domni Henrici serenissimi regis.

Simon notarius advicem Ruotgeri archicancellarii recognovi et subscripsi.

Data V. kalendas ianuarii anno incarnationis dominicae DCCCCXXVIII, indictione I, anno vere gloriosi regis Henrici VIII, actum Mogoncia, in Dei nomine feliciter.

50b. Uebertragung der Reste der königlichen Grafenrechte in der Grafschaft Huy an den Bischof von Lüttich durch Otto III. 985 Juni 5.

Abgedruckt aus A. Miraeus, Opera diplomatica et historica Bd. I (2. Aufl. 1723) S. 51. — Vgl. G. Waitz, Deutsche Verfassungsgesch. Bd. VII (1876) S. 256 f.

In nomine sanctæ et individuæ trinitatis. Otho divina favente clementia rex.

Cunctis fidelibus nostris præsentibus scilicet atque futuris per scripti hujus prætitulationem manifestari volumus, quia adiit celsitudinem nostram venerabilis et fidelitatis nostræ in omnibus executor Notkerus, Tungrensium vel Loodicensium episcopus, ut ei vel successoribus suis s. Mariæ sanctoque Lamberto deservituris comitatum Hoiensem, qui in nostra ditione hactenus erat quemque Ansfridus comes illustris vir, qui illum ad præsens tenebat, pro Dei honore et prædictorum sanctorum veneratione ipsiusque episcopi amore reddiderat, perpetuo habendum concederemus; et quia quod reliquum erat regiæ ditionis in moneta scilicet et telonio reliquisque reditibus munificentia regum vel imperatorum prædecessorum nostrorum ecclesiæ s. Mariæ in Leodio vel Hoio positæ jam cesserat et dilectissima mater nostra Theophania imperatrix fiendum petebat, ratum duximus ejus subservire petitioni.

Igitur super id quod ab antecessoribus nostris regibus vel imperatoribus ecclesiæ jam dictæ Tungrensi vel Leodiensi concessum fuerat, scilicet in vicis Trajecto Hoio Namuco Deonanto vel in monasteriis castellis cortibus et villis jam ad servitium ejusdem episcopi acquisitis vel de cetero adquirendis, id est, ut nullus comes vel sub comite agens vel judex aut ex judiciaria potestate, exceptis eis qui ac episcopo suffecti fuerint, in loca supradicta residere audeat vel ad caussas audiendas aut freda aut tributa aut bannos aut telonia aut reditum de statione navium aut aliquod omnino districtum exigendum aut mansiones vel paratas faciendas aut fidejussores tollendos aut ullas redibitiones aut illicitas occasiones inquirendas, sicut continebatur in præceptis regiis vel imperialibus, munificentiæ vel immunitatis intuitu sup*ra* denominatis ecclesiis jam olim concessis — super haec, inquam, omnia quæ dicta sunt quæque ab antecessoribus nostris ecclesiæ sanctæ Mariæ sanctique Lamberti concessa sunt concedimus eidem venerabili Notkero episcopo et per eum omnibus ejus successoribus quod reliquum Hoiensis comitatus in nostra ditione superfuerat infra eumdem vicum vel extra, ut tam idem episcopus, quam et reliqui per succedentia tempora episcopi, cuicumque fidelium suorum et nostrorum militum vel amicorum dari illum censuerint, liberam habeant facultatem, salva tamen, si ita episcopo visum fuerit, in dando nostra reverentia vel propter de-

bitum nobis ab omnibus honorem vel propter bannum legalius faciendum.

Itaque pro animæ nostræ vel antecessorum nostrorum remedio vel Dei servitio melius et fidelius explendo quidquid cameræ nostræ provenire poterat ex comitatu jam dicto ecclesiæ supradictæ vel nostri episcopi . . . . cedendum permittimus.

Et ut hoc auctoritatis nostræ præceptum et firmius credatur et diligentius ab omnibus observetur, manu propria firmavimus et annulli nostri impressione subtersignari jussimus.

Hildibaldus episcopus et cancellarius vice Willigisi archicapellani recognovi.

Datum nonis iunii, anno Dominicæ incarnationis nongentesimo octogesimo quinto, indictione XIII., anno vero tertii Othonis regnantis secundo. Actum Ingilenheim feliciter amen.

50c. Uebertragung einer Grafschaft mit allen Rechten an den Bischof von Paderborn durch Heinrich II. 1011 April 10.

Abgedruckt aus H. A. Erhard, Regesta historiae Westfaliae Bd. I (1847) Codex diplomaticus S. 61 f. Nr. 82. — Vgl. G. Waitz s. Nr. 50b.

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Heinricus divinae ordinante providentia rex.

Divinae pietatis clementia, quae nos ad culmen regiae maiestatis perduxit, ad hoc voluit regnare, ut aecclesiarum ordini firmando atque corroborando subveniamus, his autem maxime locis, quae ab antecessoribus nostris regibus imperatoribus fundata, sed iam peccatis exigentibus paene videbantur annullata.

Quapropter omnium fidelium nostrorum presentium scilicet ac futurorum industriae notum esse volumus, qualiter nos divini amoris instinctu pro remedio animae nostrae seu parentum nostrorum, nec non et tercii Ottonis bonae memoriae imperatoris dilectaeque coniugis nostrae Cunigundae reginae interventu atque Meginwerc sanctae Podrebronnensis aecclesiae venerabilis episcopi rogatu sibi sanctaeque suae aecclesiae a Karolo magno imperatore olim fundatae, nostris vero temporibus incendium passae, in honore enim sanctae Dei genitricis semperque virginis Mariae et sancti Kiliani martiris Liboriique confessoris dedicatae, comitatum quem Hahold comes dum vixit tenuit, situm scilicet in locis Hauerga Limga Thiatmalli Aga Patherga Treueresga Langaneka Erpesfeld Silbiki Matfeld Nihterga Sinatfeld Balleuan prope Spriada Lambiki Lession Sevuardeshusun, cum omni legalitate in proprium concedimus atque largimur per hanc nostram regalem paginam, eo videlicet rationis tenore, ut prefatus episcopus Meginwerc suique successores praescriptae aecclesiae presidentes dehinc liberam habeant potestatem de eodem comitatu eiusque utilitatibus

quicquid eis placuerit faciendi, ad eorum tamen utilitatem aecclesiae, omni videlicet inquietudine remota.

Et ut haec nostrae traditionis seu confirmationis auctoritas stabilis et inconvulsa omni habeatur tempore, hoc preceptum inde conscriptum manu propria firmare curavimus et sigillo nostro insigniri iussimus.

Signum domni Heinrici regis invictissimi.

Guntherius cancellarius ad vicem Erkambaldi archicappellani recognovi.

Datum 4. idus april. indictione 8. anno dominicae incarnationis millesimo 11, anno vero domni secundi Heinrici regnantis 9. Actum Tribura regia villa feliciter amen.

50[d]. Festsetzung der Rechte des bischöflichen Grafen zu Toul durch den Bischof von Toul. 1069.

Abgedruckt aus G. Waitz, Urkunden zur deutschen Verfassungsgesch. im 11. und 12. Jahrhundert (1871) S. 3—8, die Zeugenliste abgekürzt. — Vgl. G. Waitz s. Nr. 50[b] und ebenda S. 46 f.

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Udo gratia Dei Leuchorum episcopus.

Divini servitii opus est discordiam et contentionem inter partes dissidentes evellere et justitia mediante pacem et concordiam inserere, dum Deus, qui est summum bonum, pax vera creditur existere. Quapropter noverit universitas fidelium praesentium et futurorum, quod nostro temporo fuerit comes hujus Leuchorum urbis, cui Deo auctore praesidemus, Arnulfus nomine, qui suis exigentibus culpis depositus est a comitatus honore, maxime quoniam sua cupiditate plurimum aggravabat pauperes nostrae ecclesiae. Itaque credens utile fore, si res hujus civitatis ad comitatum pertinentes stylo et memoriae traderemus, institimus protinus, quatenus ea, quae ab antiquioribus nostrae diocesis veraci relatu didicimus de rebus nostrae ecclesiae, scripto commendaremus. Nam majoribus nostrae ecclesiae congregatis exegi cum sacramento, ut veraciter edicerent, cujusmodi esset honor comitatus hujus urbis, qualiter tenuerunt illum antiqui comites, scilicet Raimbaldus et Rainaldus major, filius ejus, atque Rainaldus minor, qui cum summo honore ac prosperitate hanc urbem rexerunt et defensaverunt temporibus nostrorum antecessorum sanctae memoriae Gerardi Stephani Bertoldi Herimanni et beatae recordationis papae Leonis cognomento Brunonis, ut ea conditione, qua in hac carta esset scriptum, traderemus successori comitis Arnulphi honorem comitatus atque ejus omnes successores in perpetuum hoc pacto hanc dignitatem susciperent nec amplius vel alio modo, quam hic inveniretur scriptum, pauperes ecclesiae nostrae opprimerent.

[1] Igitur comes non habet ullam potestatem infra civitatem propter ullam justitiam faciendam nec ullum bannum.

[2] Sicut in Gruria currit in circuitu montis Barri, debet ducere sulcum circum vindemias recto tempore ad 60 pedes usque ad siliculam. Et si qua justitia contigerit infra sulcum tempore quo custodiendae sunt vineae, ipse accipiet tertiam partem justitiae et episcopus duas, secundum consilium villici et scabinorum; et ejus custodes non debent intrare vineas, nisi persequantur latronem. Nec debet dare ulli licentiam vindemiandi sine consensu villici et meliorum civitatis; et postquam communis consensus fuerit abbatum et clericorum et villici et meliorum civitatis de die vindemiandi, non currit amplius ejus bannus intra montem Barrum. Tamen abbates de sancto Apra et de sancto Mansueto et congregatio sancti Stephani sanctique Gengulphi et sancti Aniani debent uno die aut duobus ante alios vindemiare. Et propterea dant quisque modium vini inter comitem et villicum. Et si hoc comes non disposuerit, carebit modio vini.

[3] In suburbio si tumultus ortus fuerit et sanguinis effusio vel latrocinium contigerit, ipse de justitia habebit tertiam partem et episcopus duas, consilio villici et scabinorum.

[4] Si extraneus aperuerit tonnam suam ad sal vendendum, minister comitis accipiet manum plenam salis. Si autem civis aperuerit tonnam suam, nihil inde accipiet comes.

[5] Tria placita vicedominalia habet in anno comes in villa. Ad quae placita non venient milites nec praebendarii episcopi et congregationum sancti Stephani et sancti Apri sanctique Mansueti et sancti Gengulphi nec praebendarii clerirorum vel militum episcopi. Et si justitia ita facta fuerit, habebit comes tertiam partem et episcopus duas, consensu villici et scabinorum. Si latro fuerit convictus ante eum et ipse latro fuerit capitali censu subditus alicui ecclesiae hujus episcopatus, pretium super eum inventum erit domini sui et corpus erit comitis et episcopi; quod si ipse se redemerit, tertia pars redemptionis erit comitis et duae episcopi, ipse vero redibit ad dominum suum. Si autem extraneus fuerit latro, de pretio super eum invento erit tertia pars comitis et duae episcopi; quod si redemerit vitam suam, similiter et corpus erit utrorumque, nisi proprius dominus eum prosecutus fuerit.

[6] Alienigenae, id est wargan*gi*, qui manserint in banno, dabunt comiti 4 denarios singulis annis festo sancti Remigii. Et si inde aliquis negligens fuerit, reddet comiti capitale. De justitia autem erunt duae partes episcopi, tertia comitis, secundum consilium villici et scabinorum.

[7] Stratam publicam et metas debet custodire comes. Et si justitia inde fuerit facta, tertia pars persolutionis erit comitis, duae vero episcopi, consilio villici et scabinorum. Latronem non capient ejus ministri nisi in strata publica. Quod si latro fugerit intra alicujus mansum, ministri comitis non persequentur eum intro

sine permissu illius, cujus fuerit mansus, et conductu villici ipsius banni.

[8] Si duellum fuerit factum in 7 antiquis potestatibus quae pertinent ad coquinam episcopi, de persolutione erit tertia pars comitis et pars tertia episcopi, consilio villici et scabinorum ipsius villae.

[9] Mensuras quascumque faciet villicus et scabinei absque comite. Sed si aliqua earum fuerit falsata inventa, de justitia accipiet comes tertiam partem et episcopus duas, consilio villici et scabinorum.

[10] Monetam mutabit episcopus consilio suorum officialium sine comite. Quae si falsata fuerit inventa, ille qui convictus fuerit de justitia dabit tertiam partem comiti et episcopo duas.

[11] Omnia officia civitatis mutabit episcopus et villicus ejus sine comite, excepta custodia portae. Quam custodiam proferet comes et villicus in pleno placito. Quod si inde contigerit redemptio, comes accipiet tertiam partem et episcopus duas, consilio villici et scabinorum. Postquam autem custodia portae fuerit stabilita laude communi et meliorum civitatis, non mutabitur, nisi publice a pluribus et melioribus fuerit de culpa accusatus.

[12] In 7 supradictis potestatibus episcopi non hospitabitur comes nec inde accipiet ullum debitum vel servitium praeter eulogias et carratas vini, quas ei dant officiales. Si ergo eis vinum defecerit, persolvent 10 solidos pro carrata vini. Et si officiales episcopi eulogias persolvere non poterunt, dabunt pro eis 7 solidos. Praeter haec nihil habet comes in praedictis potestatibus episcopi. Quod si ibidem amplius quid acceperit, injuste pauperes homines episcopi tractabit.

[13] Si ergo de hujusmodi rebus, quae ex antiquo tempore antecessores comitis gratanter tenuerunt, aliqua contentio orta fuerit inter episcopum et comitem, communi laude et consensu utrorumque decernant res sacramento 7 hominum hujus ecclesiae bene credentium.

[14] Praeterea si comes obviaverit alicui inimicorum suorum vel eum invenerit infra banni leugam, si ipse homo fuerit inimicus episcopi, licebit comiti eum capere sine scitu episcopi; si autem non fuerit inimicus episcopi, non licebit comiti eum capere sine laude episcopi vel advocati civitatis.

Hac igitur conditione Friderico comiti, qui loco superius dicti Arnulphi est subrogatus, comitatum dedimus, ut nihil super has consuetudines a pauperibus nostrae ecclesiae exigerit, sed haec omnia inconvulsa absque ulla refragatione conservaret et sibi succedentibus in perpetuum conservanda relinqueret.

Ut autem hujuscemodi consuetudines ad comitatum pertinentes de pauperibus nostrae ecclesiae rite et legitime corroboratae perpetualiter permaneant, in hujus scripti monumento nostris successoribus ad recognoscendum relinquimus et subscriptis testibus ad corroborandum deinceps tradidimus.

[Nachtrag.] In villis etiam et in mancipiis et in rebus ubique jacentibus ad praebendam canonicorum pertinentibus nullam justitiam, nullum servitium, nisi ei fuerit sponte oblatum, nullam hospitalitatem comitem habere manifeste recognovimus; sed omni sua potestate saeculari exclusa, nostra et successorum nostrorum canonicorum tantum libero arbitrio disponantur.

Haec omnia supradicta sigillo nostro sub anathemate signavimus.

Ego Udo Dei gratia Leucorum episcopus signavi.

Signum Stephani archidiaconi *etc.*

Actum anno ab incarnatione Domini 1069, indictione 7, Henrico IV. rege Romanorum regnante 13. anno regni ejus.

Ego Walterus decanus et archidiaconus et cancellarius recognovi et supscripsi.

Ego Hermannus sacerdos vice Valteri cancellarii scripsi et subscripsi.

51a. Markt- und Münz-Verleihung für das Kloster Prüm durch Lothar II. 861 Juli 28.

Abgedruckt aus (H. Beyer) Urkundenbuch zur Geschichte der . . . mittelrheinischen Territorien Bd. I (1860) S. 100 s. Nr. 96. — Vgl. Böhmer-Mühlbacher, Die Regesten des Kaiserreichs unter den Karolingern Bd. I S. 485 Nr. 1260; K. Rathgen, Die Entstehung der Märkte in Deutschland (Diss. Strassburg 1881); G. Waitz, Deutsche Verfassungsgesch. Bd. IV (2. Auflage 1885) S. 52 ff.

Ueber den Zusammenhang der Märkte mit der Entwicklung der Städte s. die verschiedenen Ansichten nebst Literatur bei R. Schröder, Lehrbuch der deutschen Rechtsgesch. (1889) S. 588 ff.; R. Sohm, Die Entstehung des deutschen Städtewesens (1890); Sohm's Ausführungen kritisirt beschränkend G. Kaufmann, Zur Entstehung des Städtewesens I (Index Lectionum, Münster SS. 1891).

In nomine omnipotentis Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi. Hlotharius divina preveniente clementia rex.

Si utilitatibus ecclesiarum Dei studiosius providentiam adhibemus, morem exequimur piissimorum regum idque ad emolumentum animae nostrae prodesse minime ambigimus.

Idcirco omnium fidelium sanctae Dei ecclesiae ac nostrorum praesentium videlicet et futurorum noverit industria, quia Ansboldus Prumiacensis monasterii abba nostris serenissimis innotuit auribus, quod ipse locus propter mercati et monete longinquitatem non modicum patitur discrimen; unde petiit clementiam magnitudinis nostrae, ut licentiam in loco, qui vocatur Romari-villa, non procul ab eodem monasterio sito, mercatum et monetam ad utilitatem eiusdem loci fieri non dedignaremus. Cuius peticioni ob reverentiam Domni et Salvatoris nostri Iesu Christi et remedium animae nostrae libenter adquiescentes has nostrae pietatis litteras fieri decrevimus per quas statuentes decernimus atque iubemus, ut abhinc inantea in predicto loco mercatum habeant

more humano et moneta ad bonos et meros denarios perficiendum fiat, et nulla pars publica inde teloneum vel aliquam exactionem exigat, sed in utilitatibus eiusdem sancti loci vel fratrum ibidem Deo militantium in futuro perseveiet.

Et ut haec nostrae concessionis auctoritas inviolabilis perseveret, de anulo nostro subter iussimus sigillare et manu propria firmavimus.

Signum Hlotharii gloriosissimi regis.

Rotmundus notarius recognovit et scripsit. Data 5. kal. augusti anno Christo propitio regni domini Hlotharii regis 6. indictione 9. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter amen.

51[b]. Immunitäts- und Schutzprivileg für Güter und einen Markt des Klosters Saint-Denis von Ludwig dem Deutschen. 866 Juli 28.

Abgedruckt aus Würtembergisches Urkundenbuch Bd. I (1849) S. 166 f. — Vgl. Böhmer-Mühlbacher (s. Nr. 51[a]) S. 563 Nr. 1418; Rathgen und Waitz s. Nr. 51[a].

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Hludowicus divina faventa gratia rex.

Si liberalitatis nostrae munere locis Deo dicatis quiddam conferimus beneficii et necessitates ecclesiasticas ad petitiones servorum Dei nostro relevamus iuvamine atque regali tuemur munimine, id nobis et ad mortalem vitam temporaliter transigendam et ad aeternam feliciter obtinendam profuturum liquido credimus.

Idcirco comperiat omnium fidelium nostrorum tam praesentium quam et futurorum sollertia, quia vir venerabilis propinquus videlicet et aequivocus noster Hludowicus abba petiit celsitudinem nostram, ut quasdam cellulas sitas in Alamannia, Hetsilinga in pago Nechragawe super fluvium Nechra, ubi sanctus Vitalis confessor corpore requiescit, et Harbrittinga in pago Rehtsa, ubi sanctus Veranus corpore requiescit, et Hadalongcella in pago Heegewa, ubi sanctus Georgius corpore requiescit, ad ius et potestatem monasterii pretiosissimorum Christi martyrum Dionysii Rustici et Eleutherii pertinentes, quia a reliquis supradictorum martyrum rebus longe sepositae erant, sub nostro munimine et defensione cum rebus et hominibus ad se pertinentibus vel aspicientibus consistere fecissemus, ut nostrae immunitatis auctoritate deinceps ab inquietudine iudiciariae potestatis ipsae munitae ac defensae fuissent cellulae. Similiter autem et de rebus in Mortonogowa et Brisikagwa ad praedictum monasterium sancti Dionysii aspicientibus fieri petiit.

Cuius petitioni assensum praebuimus et hoc nostrae auctoritatis praeceptum erga ipsas cellulas ac supradictas res immunitatis atque tuitionis gratia pro divini cultus amore et animae nostrae

remedio fieri decrevimus. Per quod praecipimus atque iubemus, ut nullus iudex publicus vel quislibet ex iudiciaria potestate in ecclesias aut loca vel agros seu reliquas possessiones, quas moderno tempore in quibuslibet pagis vel territoriis infra ditionem regni nostri iuste et legaliter memoratae tenent vel possident cellulae, vel ea quae deinceps in iure ipsarum cellularum voluerit divina pietas augeri, sub quibuslibet inlicitis occasionibus aut fideiussores tollendos aut homines ipsarum cellularum, tam ingenuos quam servos, super terram ipsarum commanentes iniuste distringendos nec ullas redibitiones necnon et in his, quae in Mortonogowa et Brisikagawa preciosus Christi martyr Dionysius iure habere in praesenti videtur vel deinceps iuste adquirere potest, nostris nec futuris temporibus ingredi audeat nec ea quae supra memorata sunt penitus exigere praesumat.

Similiter et merchatum, quod in praedicta cellula Hetsilinga in praesenti habetur et quod tempore clarissimi avi nostri Karoli ac domni genitoris nostri Hludowici piissimi augusti fuit, sub nostra tuitione volumus consistat; ut nullus de quolibet negotio ex eo teloneum per vim aut per aliquam potestatem auferre praesumat, sed ipsum teloneum et omnia quae supra memorata sunt cum omnibus sibi subiectis et rebus vel hominibus ad se aspicientibus vel pertinentibus supradicto coenobio sancti Dionysii vel monachis ibidem Deo deservientibus in eorum usus nostra auctoritate permaneant sub tuitionis atque immunitatis nostrae defensione, remota totius iudiciariae potestatis inquietudine, quieto ordine valeant possidere atque pro incolumitate nostra, coniugis ac prolis seu etiam totius regni a Deo nobis conlati Dei immensam clementiam devotius iugiter exorare.

Et ut haec auctoritas per futura tempora inconcussam et inviolabilem octineat firmitatem, manu propria nostra subter eam firmavimus et anuli nostri impressione assignari iussimus et dilecto filio nostro Karolo eam firmare praecepimus.

Signum domni Hludowici serenissimi regis. Signum Karoli.

Hebarhardus notarius ad vicem Grimaldi recognovi et subscripsi.

Data quinto calendas augusti anno 34. regni domni Hludowici serenissimi regis in orientali Francia regnantis, indictione 14. Actum Reganesburc civitate regia, in Dei nomine feliciter amen.

51c. Marktprivileg Ottos des Grossen für den Erzbischof von Hamburg-Bremen. 965 August 10.

Abgedruckt aus Mon. Germ. hist. (Quartserie) Diplomata Bd. I (1879—1884) S. 422 f. Nr. 307. — Vgl. G. Waitz, Deutsche Verfassungsgesch. Bd. VII (1876) S. 378 ff., Bd. VI (1875) S. 449 mit Note 1; Rathgen u. a. s. Nr. 51a.

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Otto Dei clementia imperator augustus.

Si religiorosum optemperaremus votis et nostrae liberalitatis loca divino cultui mancipata largitate donaremus, ad eternae recompensationis premium indubitanter id nobis credimus profuturum. Quare omnibus constet, nos pro Dei amore venerabilis Adaldagi Hammaburgensis ecclesiae archiepiscopi flagitationibus annuentes construendi mercatum in loco Bremun nuncupato illi concessisse licentiam; bannum et theloneum nec non monetam totumque quod inde regius rei publicae fiscus obtinere poterit prelibatae conferimus sedi, quin etiam negotiatores eiusdem incolas loci nostrae tuitionis patrocinio condonavimus, precipientes hoc imperatoriae auctoritatis precepto, quo in omnibus tali patrocinentur tutela et potiantur iure quali ceterarum regalium institores urbium, nemoque inibi aliquam sibi vendicet potestatem, nisi prefati pontificatus archiepiscopus et quem ipse ad hoc delegaverit, manu nostra signato et anuli nostri impressione roborato.

Acta 4. idus augusti anno dominicae incarnationis 966, indictione 8, anno domini Ottonis magni imperatoris regni 31, imperii vero 4; actum Mersburg, in Dei nomine feliciter.

51d. Marktprivileg Ottos III für einen schwäbischen Grafen. 999 Merz 29.

Abgedruckt aus C. G. Dümgé, Regesta Badensia (1836) Anhang S. 97 Nr. 37. — Vgl. Waitz s. Nr. 51c; Rathgen u. a. Nr. 51a.

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Otto superna favente clementia Romanorum imperator augustus.

Si dignis fidelium nostrorum petitionibus assensum prebuerimus, nobis inde illos fideliores esse procul dubio credimus. Qua de causa universae aetati scilicet presentis saecli ac futuri aevi notum esse volumus, quoniam nos duce egregio Herimanno rogante Bertholdo comiti nostro donavimus largiti sumus et concessimus jus fas et potestatem in quodam suo loco Vilingun dicto publicum faciendi et construendi merkatum cum moneta theloneo ac totius publicae rei banno in comitatu quoque Bara, quem Hildibaldus comes tenere et potenter videtur placitare. Atque idem nostrae concessionis auctoritativae merkatum fore legitimum cum omni publica functione imperiali decrevimus preceptione omnium hominum postposita contradictione, tali videlicet juris dispositione ut cuncti, qui illud jam dictum merkatum visitare cupiant, secure et cum totius tranquillitatis pace eant redeant et sine injusto quolibet dampno negotium suum excolant scilicet comparando emendo vendendo et quicquid hujus artis nominari potest faciendo. Et si hoc quod patet praedicti mercati firmamentum quisquam mortaliam in aliquo violare irritare seu infringere praesumpserit, se sciat compositurum talem nostrae reipublicae bannum qualem ille componeret debitus, qui illud merkatum Constancie aut illud Turegum aliqua temeritate frangeret

sive contaminaret. Persolvat ergo hunc ipsum banum imperialem praehabito Bertholdo comiti aut cui ipse dare voluerit habeatque idem modo dictus comes licenciam tenendi commutandi donandi et quicquid sibi placuerit de praenominato merkato disponendi.

Et ut ista concessio nostrae auctoritatis permaneat indissolubilis et perseverans, hanc paginam ut videtur subtus manu propria corroboravimus sigilloque nostro plumbeo sigillare praecepimus.

Signum domni Ottonis caesaris invictissimi.

Heribertus cancellarius vice Willigisi archiepiscopi *recog*novit.

Data 4. kl. april. anno dominicae incarnationis 999, indictione 12., anno tercii Ottonis regnantis 16. imperii 3. Actum Rome feliciter.

52. Das Reichenauer Marktrecht. 1100.

Abgedruckt aus Aloys Schulte, Ueber Reichenauer Städtegründungen im 10. und 11. Jahrhundert in: Zeitschrift für die Geschichte des Oberrheins 44. Bd. = N. F. V. Bd. (1890), S. 141. — Vgl. die ausführliche Zusammenstellung der Litteratur über das Städtewesen des Mittelalters bei R. Schröder, Lehrbuch der deutschen Rechtsgeschichte (1889) S. 588 f. — Vgl. auch G. Kaufmann (Nr. 51.[a]) S. 25 f., 16.

Notificamus omnibus fidelibus tam praesentibus quam futuris, qualiter ego Uodalricus dei gratia Augensis ecclesie abbas vocatus et Lampertus de Ratolfiscella legitimus advocatus cum consensu Burchardi villici et canonicorum eiusdem praelibate zelle Adilhelmi plebani, Gerungi et aliorum ibidem Deo serviencium et laicorum ibi manentium maiorum et minorum, auctoritate et precepto Hainrici imperatoris tercii in villa Ratolfi forum statuimus et sic ordinavimus: [1] Partem ville, quae foro sufficeret, sub omni jure fori ei donavimus eo videlicet iure et libertate, ut ipsa*m* terra*m* omni homini cuiuscunque condicionis liceret emere vendere et libere in allodio possidere sine omni contradictione, excepto quod emptor villico quartarium vini persolvat sive multum sive paucum de terra emat. [2] Hoc eciam constituimus, ut idem forum sub nullo districtu constaret, sed iusticiam et libertatem Constantiensem, quae jus fori est, semper obtineret. [3] Famulos autem eiusdem prefate ecclesie utriusque sexus in suo iure permanere decrevimus. [4] Sed quia dampnum familie sic cognovimus, quod ligna copiose et pascua late antea possiderunt, postea strictius habuerunt, ideo ipsis concessimus et pro lege statuimus, ut in foro sub nullo banno emant vendant et nulli iudicum de empcione, de vendicione pro iure fori respondeant. [5] Et quia nostrum est ecclesiis et ecclesie hominibus tam de futuris quam de presentibus in magna diligencia providere, ideo volumus et hoc nos contradicere, quod si forte aliquis ecclesie famulus in foro domum emerit vel quocunque modo ibi allodium possederit, statuimus hoc et pro lege damus, ut nec advocatus nec villicus nec aliqua secularis potestas ipsum occasione allodii *a* iudicio fori vocet ad

presenciam sui, *nisi* ius fori poscat vel suscipiat. Et si secularis potestas vel qualiscunque persona ipsum habet impetere, ad presenciam famulorum ecclesie vocetur et omnis controversia et pulsacio, que in ipsum est, iudicio illorum terminetur.

Actum anno 1100 indictione 8 regnante imperatore Heinrico tertio, consentiente cancel*l*ario Adelberchto, Fridrico duce. Huius rei *testes* interfuerunt Algerus prepositus Egino decanus et alii multi.

53. Das Freiburger Markt- und Stadtrecht [nach 1120].

Abgedruckt aus H. Maurer, Kritische Untersuchung der ältesten Verfassungsurkunden der Stadt Freiburg i. B. in: Zeitschrift für die Geschichte des Oberrheins XXXX. Bd. = N. F. I. Bd. (1886) S. 193—199. Die §§ 16—55 sind nicht in der Originalurkunde enthalten gewesen, sondern später hinzugesetzt worden. Das kursiv gesetzte ist aus Ableitungen des Originals ergänzt.

Notum sit omnibus tam futuris quam presentibus, qualiter ego Cůnradus in loco mei proprii iuris scilicet Friburg forum constitui anno ab incarnatione domini 1120. Mercatoribus itaque personatis circumquaque convocatis quadam coniuratione id forum decrevi incipere et excolere. Unde unicuique mercatori haream in constituto foro *ad* domos in proprium ius edificandas distribui atque de unaquaque harea solidum publice monete mihi et posteris meis pro censu annuatim in festo beati Martini persolvendo disposui. Singule vero haree domorum in longitudine centum pedes habebunt, in latitudine quinquaginta. Igitur notum sit omnibus, quod secundum petitionem et desideria eorum ista, que secuntur, *concessi* privilegia. Ac in integrum mihi consilium visum est, si forent sub cyrographo conscripta, quatenus per longum tempus habe*b*antur in memoria; ita ut mercatores mei et posteri eorum a me et a posteris meis hoc privilegium in ewum obtineant.

[1] Ego vero pacem et securitatem itineris omnibus forum meum querentibus in mea potestate et regimine meo promitto. Si quis eorum in hoc spacio depredatus fuerit, si predatorem nominaverit, aut reddi faciam aut ego persolvam.

[2] Si quis burgensium meorum defungitur, uxor eius cum liberis suis omnia possideat et sine omni contradictione, quecunque vir eius demiserit, obtineat. Si quis autem sine uxore et liberis aut absque herede legitimo moritur, omnia que possederat 24 coniuratores fori per integrum annum in sua potestate aut custodia retineant; ea de causa, ut si quis iure hereditario ab ipsis hereditatem postulaverit, pro iure suo accipiat et possideat. Quod si forte nullus heredum ea que reservata sunt poposcerit, prima pars pro salute anime defuncti erogabitur in usus pauperum, secunda ad edificationem civitatis aut ad ornatum eiusdem oratorii exhibebitur, tertia duci inpendetur.

[3] Omnibus mercatoribus teloneum condono.

[4] Nunquam alium advocatum burgensibus meis, nunquam alium sacerdotem absque electione preficiam, sed quoscunque ad hoc elegerint, hos me confirmante habebunt.

[5] Si qua disceptatio vel questio inter burgenses meos orta fuerit, non secundum meum arbitrium vel rectoris eorum discutietur, sed qro consuetudinario et legitimo iure omnium mercatorum precipue autem Coloniensium examinabitur iudicio.

[6] Si quis penuria rerum necessariarum constrictus fuerit, possessionem suam cuicunque voluerit vendat.

[7] Si quis aliquem in propria harea vi invaserit, quidquid ei mali fecerit, sine omni satisfactione evadet.

[8] Si quis infra urbem pacem urbis infregerit, id est, si aliquem sanguinolentum irato *animo* et serio fecerit, si convictus fuerit, manu truncabitur, si vero occiderit, decollabitur. Si vero evaserit et captus non fuerit, delebitur domus eius funditus; edificia vero per integrum annum intacta manebunt; post revolutionem anni heredes eius, si voluerinnt, destructam domum reedificabunt et libere possidebunt, impensis tamen prius duci 60 solidis denar. Reus vero quandocumque in urbe capietur, predicte pene subiacebit.

[9] Si dux in regalem expeditionem ibit, minister eius in publico; foro ante unumquemque sutorem *potest meliores* soculares, quoscunque voluerit, ad opus ducis accip*ere*. Similiter et ante incisores caligarum po*te*st meliores caligas, *quascunque* volu*erit*, accip*ere*.

[10] Omnis mulier *in successione hereditatis* viro parificabitur et e contra.

[11] Omnis etiam, qui venit in hunc locum, libere hic sedebit, nisi fuerit serwus alicuius et confessus fuerit dominum. Dominus autem servum vel relinquet in urbe vel deducet, si volet. Si autem serwus dominum negaverit, dominus probabit cum septem proximioribus cognatis esse serwum suum coram duce et habeat eum. *Si quis vero ultra annum et diem sine huiusmodi impetitione permanserit, secura de cetero gaudebit libertate.*

[12] Orta seditione, si quis armatus forte illuc venerit, satisfactionem non subibit. Si autem domum redierit et arma apportaverit et de hoc convictus fuerit, gratiam ducis amisit.

[13] Nullus de hominibus vel ministerialibus ducis vel miles aliquis in civitate habitabit, nisi ex communi consensu omnium urbanorum et voluntate.

[14] Nullus extraneus testis erit super burgensem sed tantummodo burgensis super burgensem, et omne testimonium duobus legitimis personis producitur et hoc de visu et auditu.

[15] Si burgenses amici urbem exierint et inter se invicem altercati fuerint, pro satisfactione uterque causidico tres solidos dabit. Si autem inimici exierint et se invicem depilaverint vel leserint seu vulneraverint, gratiam ducis amiserunt.

[16] Nullus de ministerialibus vel hominibus domini in civitate habitabit vel ius civile habebit, nisi de communi consensu burgensium, ne quis burgensis illorum testimonio possit offendi, nisi predictus dominus civitatis libere eum dimiserit.

[17] Si vero burgenses inter se rixati fuerint, non sunt cogendi ad faciendam querimoniam, nec dominus civitatis vel iudex movere *questionem* debet. Si *autem* alter eorum domino vel iudici conquestus fuerit *et post motam in manifesto querimoniam occulte reconciliati fuerint, si* dictus dominus vel iudex ocultas reconciliationes, et quod conquestum est, eis firmiter proba*verit, compellere poterit eum, si vult*, *ad querimoniam peragendam.*

[18] Burgensi licet dare vel vendere uxore sua vivente quidquid possidet; mortua autem uxore, si filios vel filias habet, non licet, nisi de consensu eorum; ita dico, si pervenerint ad annos discretionis. Si vera legittima causa pro eo interpellaverit et hoc iuramento cum propria manu probaverit, licet ei vendere. Item si contrahit cum alia uxore, nullo modo licet.

[19] Extraneus cum burgensi duellum non habebit nisi ad voluntatem burgensis.

[20] Si quis irato animo infra urbem die aliquem vulneraverit, et si idem duobus ydoneis testibus convictus fuerit, manu truncabitur. Si vero vulneratus morietur, idem malefactor decollabitur. Si autem nocte contigerit vel in taberna seu die seu nocte aliquem vulneraverit, duello convicatur: ea de causa, quia tabernam nocti assimilamus propter ebrietatem. Si autem predictorum testium testimonium accusatus non acceptaverit, cum conquerente vel cum altero testium duellum ei inire licebit.

[21] Si quis civis concivem suum in civitate depilaverit vel percusserit vel temere ad domum suam accesserit vel ubicunque eum ceperit vel capi fecerit, gratiam domini sui amisit. Cetera iudicia sunt causidici.

[22] Si duo cives se invicem depilaverint, qui auctor est, si ydoneis testibus convincitur, emendabit, alter vero non.

[23] Si vero burgensis extraneum percusserit vel depilaverit, 60 solidos emendabit.

[24] Si autem duo burgenses amici urbem exierint et inter se invicem altercati fuerint, auctor pro satisfactione causidico tres solidos dabit. Si vero inimici urbem exierint et se invicem depilaverint vel percusserint vel alter alterum ceciderit, si convinci potest ydoneis testibus, eadem pena, ac si in civitate contigisset, puniatur. Si vero duo burgenses amici civitatem exierint et inter se altercati fuerint et sine concordia separati fuerint, si postea, antequam civitatem ingressi fuerint, alter in alterum maligne insultum fecerit, eadem pena, ac si in civitate contigerit, puniatur.

[25] Si civis concivem suum extraneo iudicio persequitur, ea que amittit apud extraneum iudicem, ille sibi reddet et postea iudici suo tribus solidis satisfaciat. Et si fecerit eum capi, gratiam sui domini amisit.

[26] Si extraneus civem fugaverit vel vulneraverit, si civis iudici notificaverit prius et si postea extraneus in civitatem venerit, burgensis quidquid ei mali intulerit, nullam apud iudicem penam sustinebit.

[27[Si *civis* extraneum ad iudicem traxerit pro debito, iudex eum sex septimanas servabit, si debitum non negaverit, post quas iudex creditori debitorem, datis sibi tribus solidis, reddet, accepta competenti cautione, quod nichil mali ei inferat.

[28] Si quis res alterius in vadio exponat presente possessore nec contradicente, postea contradicere non poterit.

[29] Nemo rem sibi quoquo modo sublatam vendicare potest, nisi iuramento probaverit sibi furto vel preda ablatam. Si autem is, in cuius potestate invenitur, dixerit, se in publico foro pro non furato vel predato ab ignoto sibi emisse, cuius etiam domum ignoret, et hoc iuramento confirmaverit, nullam penam subibit. Si vero a sibi noto se confessus fuerit emisse, 14 diebus *ire* per comitiam nostram licebit; quem si non invenerit et waranciam habere non poterit, penam latrocinii sustinebit.

[30] Quicunque seu iudex seu civis alius in civitate quempiam sine sentencia capere presumpserit, nisi aut furtum aut falsam monetam apud eum invenerit, gratiam domini sui amisit.

[31] Burgensis habens proprium dominum, cuius fatetur esse proprius, cum moritur, uxor eius predicto domino nichil dabit.

[32] Si quis gratiam domini amiserit, sex septimanas in corpore et rebus suis infra villam et extra pacem habebit et de rebus suis quidquid voluerit disponat preter domum, quam non licet ei vendere vel obligare. Si vero infra iam dictum tempus et terminum gratiam domini sui non *meruerit*, per domum propriam et per hec tantum, que habet infra civitatem, eum cogere poterit. Si vero dominus ultra montana transierit, usque ad reditum eius pacem habebit.

[33] Burgenses non tenentur ire cum domino in expeditione nisi iter unius diei, ita tamen quod quilibet sequenti nocte possit ad propria remeare. Si autem alter alterum in eadem expeditione quoquo modo leserit, tanquam in civitate factum puniatur. Cum vero predicta expeditio communiter precipitur, quicunque civium audierit et non exierit, nisi legitimam causam pretendere poterit, domus eius funditus destruetur.

[34] Quicunque burgensis fuerit, si recedere voluerit, rerum et corporis usque in medium Renum et per totum sue iuris solutionis ambitum securum debet habere ducatum ipso domino concedente.

[35] Nullum dominus per se debet eligere sacerdotem, nisi qui communi consensu omnium civium electus fuerit et ipsi presentatus. Plebanus autem sacristam habere non debet, nisi de communi civium voluntate. Scultetum, quem burgenses annuatim elegerint, dominus ratum debet habere et confirmare.

[36] Qui servat publicam libram, burgensibus gratis concedat,

si melius vadium ponat videlicet 3 solidos valens. Quod si negaverit et convictus fuerit testibus, quamdiu non satisfaciet, nullum ius in civitate habebit. Si autem actor probare non poterit, *quod ipse sibi libram negaverit*, ille iuramento se expurget et interea quilibet dabit et suscipiat cum qua libra voluerit et nulli satisfaciet. Ipse autem illi, cui *libram* negaverat, plenarie restituat, si quod exinde dampnum recepisse probaverit. Si autem concesserit et mercedem a burgense acceperit, gratiam domini amisit. Extraneus dabit obulum de omni centenario. Quilibet burgensis, si vult, libram habeat, cum qua concivibus suis et non extraneis ponderare debet. Burgensis autem, qui mercedem libre debitam domino abstulit, gratiam eius amisit. Quidquid emitur ab extraneo vel venditur extraneo cum publica libra debet ponderari.

[37] Omnis mensura vini, frumenti et omne pondus auri vel argenti in potestate *quatuordecim* consulum erit; et postquam eam equaverint, uni eorum, cui visum fuerit, civitas committat; et qui minorem vel maiorem *mensuram* habuerit, furtum perpetravit, si vendit aut emit per ipsam mensuram.

[38] Omnis burgensis eiusdem conditionis erit cum omni possessione sibi comparanda, nec dabit ius advocatie de bonis suis.

[39] Ante festum beati Martini 14 noctes et post festum 14 noctes nullus carnifex bovem aut porcum emere teneatur, nisi quem in macello secare voluerit ad vendendum. Quod si transgreditur, ius civitatis infregit.

[40] Qui proprium non obligatum sed liberum valens marcham unam in civitate habuerit, burgensis est.

[41] Omnis periurus septem ydoneis testibus legittimis, secundum quod ius est, erit convincendus de periurio.

[42] Omnis mulier parificabitur viro et econtra, et vir mulieris erit heres et econtra.

[43] Maritus uxore vivente pro voluntate sua de possessione sua disponit. Si alter eorum moritur, de proprio et hereditate sua nil facere potest, nisi famis necessitas eum urgere ceperit et illam necessitatem iuramento probaverit. Si autem aliquis heredum sibi necessaria ministrare voluerit, *de rebus suis* non habebit disponendi potestatem. Si vero alter eorum sponsare voluerit, neuter eorum de proprio et hereditate nichil facere potest.

[44] Quotquot uxores quilibet burgensis acceperit, liberi bona cuiuslibet matris possidebunt.

[45] Si burgensem aut uxorem eius mori contingerit relictis pueris, postmodum uno puerorum mortuo alter in hereditatem succedit, nisi prius divisa fuerint bona; tunc pater aut mater hereditatem possidebit.

[46] Filius sub patre aut matre degens nichil de rebus suis per ludum vel aliquo modo alienare poterit. Si autem fecerit, patri reddendum est de iure seu matri; et si quis mutuum sibi dederit, de iure nunquam persolve*tur*.

[47] Nullus infra 12 annum constitutus testimonium ferre

nec *sibi nec* aliis prodesse poterit vel obesse nec etiam potest infringere ius civitatis.

[48] Si quis in extremis positus liberos suos alicui commiserit et ille mercedis causa malefecerit eis, si testibus convincetur, corpus erit burgensium et bona sua domino sunt adiudicanda, et qui post eum a patre proximus fuerit, curam habebit eorundem puerorum. Salmannus autem usque ad 12 annos et amplius, donec ipsi non poposcerint, eos habebit in cura.

[49] Si quis burgensis alicuius uxorem conviciis provocaverit, 10 libras emendabit, si testibus convincetur.

[50] Item si aliquis coram iudicio testes aliquos produxerit, de quibus aliquis vel omnis reiecti fuerint, eodem tempore et loco, si copiam habuerit, loco illorum poterit alios advocare

[51] Nullum convicium emandatur nisi per tres solidos.

[52] Nullus in lecto egritudinis sine manu heredum suorum alicui aliquid potest conferre nisi quinque solidos vel equivalens.

[53] Si quis moritur et alter venit conquerens coram iudice super heredes pro debito, quod dicit deberi sibi, et illi negant, aut ipse actor convincat eos testibus aut dimittat eos in pace.

[54] Quicunque res alterius interdicit in civitate pro debito, probet debitum; et pro illo debito licebit ei ad 14 dies vendere presentibus duobus civibus.

[55] Quicunque facit alii unum gewette pro debito, per illud habet inducias debiti ad 14 dies. Si actor autem recipere non vult illud gewette, debitum debet ei reddere ante illam noctem. Debet etiam actori quam reo copia istius instrumenti fieri, si super iure suo in iudicio sibi petierit exhiberi.

Ne igitur burgenses mei supradictis promissionibus fidem minus adhibeant, cum duodecim nominatissimis ministerialibus meis super sancta sanctorum coniurantibus, me et posteros meos, que supradicta sunt, semper impleturos, securitatem dedi. Atque ne hoc iuramentum aliqua necessitate infringerem, manu mea dextera huius rei fidem libero homini et coniuratoribus fori inviolabiliter dedi. Amen.

54ª. Das I. Strassburger Stadtrecht [nach 1129].

Abgedruckt aus Urkundenbuch der Stadt Strassburg I. Bd. bearb. von W. Wiegand (1879) S. 467—476. — Vgl. E. Kruse, Verfassungsgeschichte der Stadt Strassburg besonders im 12. und 13. Jahrhundert in: Westdeutsche Zeitschrift für Geschichte und Kunst. Ergänzungsheft I (1884).

[1] Ad formam aliarum civitatum in eo honore condita est Argentina, ut omnis homo tam extraneus quam indigena pacem in ea omni tempore et ab omnibus habeat. [2] si quis foris peccaverit et ob culpe metum in eam fugerit, securus in ea maneat. nullus violenter in eum manum mittat; obediens tamen et paratus

ad justiciam existat. [3] nemo predam aut furtum in eam inducat vel conservare audeat nisi redditurus rationem omni querenti. [4] nullus captivum introducat, nisi presentet eum causidico vel judici, qui ad justiciam ipsum conservet.

[5] Omnes magistratus hujus civitatis ad episcopi spectant potestatem ita, quod vel ipsemet eos instituet vel illi, quos ipse statuit. majores enim ordinabunt minores, prout sibi subjecti sunt. [6] nulli autem episcopus officium publicum committere debet, nisi qui sit de familia ecclesie sue. [7] quatuor autem officiatos, in quibus urbis gubernatio consistit, episcopus manu sua investit, scilicet scultetum, burcgravium, thelonearium et monete magistrum.

De sculteto, qui et causidicus dicitur, primum exequimur.

[8] Causidici jus est duas sub se ordinare personas vicarias, quas judices appellare solet, adeo honestas, quod burgenses cum honore suo coram eis in judicio stare valeant. [9] item ad causidicum pertinet statuere tres personas, quas heymburgen dicimus, unum in interiori scilicet veteri urbe et duos in exteriori, et custodem cippi sive carceris, in quo rei custodiuntur.

Hec autem singulorum sunt officia:

[10] Causidicus judicabit pro furto, pro frevela, pro geltschulda in omnes cives urbis et in omnes ingredientes eam de episcopatu isto, nisi rationabilem opponant exceptionem, preter ministeriales ecclesie et eos, qui sunt de familia episcopi et qui ab ipso sunt officiati. [11] habet autem potestatem cogendi et constringendi judicatos, quam vocant bannum, non ab episcopo sed ab advocato. illam enim potestatim, que spectat ad sanguinis effusionem suspendendorum, decollandorum, truncandorum et hujusmodi pro qualitate delictorum, ecclesiastica persona nec habere nec dare debet. unde, postquam episcopus advocatum posuerit, imperator ei bannum, id est gladii vindictam in hujusmodi dampnandos et omnem potestatem stringendi, tribuit. [12] hanc igitur cum non habeat nisi ex gratia advocatie, justum est, ut nulla ratione eam neget causidico, theloneario, monete magistro, quoscunque statuerit episcopus, de quo tenet advocatiam. [13] in hanc igitur civitatem judicandi potestatem nemo habet nisi imperator vel episcopus vel qui de ipso habent.

[14] Judicum, quos causidicus sub se habet, potestas judicandi non est in furta vel frevelas sed tantummodo in geltschuldas. [15] locus autem judiciorum est in foro juxta sanctum Martinum. ideoque nullus, de quo fit querimonia, vocandus est in domum causidici vel judicis sed tantum ad locum predictum publicum. [16] si tamen aliquos vocaverint in domos suas judices sive causidicus illique non venerint, non ideo culpabiles erunt alicujus compositionis.

[17] Officium custodis cippi sive carceris est, omnes custodie sue commissos diligenter servare. [18] quodsi aliquem perdiderit, vicem ejus culpe subibit, nisi violenter ei ablatus fuerit. [19] ejus etiam officium est, ad suspendium dampnatos ad patibulum

educere, oculos dampnati panno preligare, patibulum erigere, scalam apponere, usque ad scalam reum applicare. tum demum assumet eum vicarius advocati et laqueo collo innexo illum suspendet. [20] si vero non fuerit presens vicarius advocati, servabitur reus in custodia, quousque causidicus causam hanc referat ad episcopum. [21] item, si quis dampnationem pellis et pili acceperit, hanc penam cipparius infliget. [22] si quis vero dampnatus fuerit manu, idem cipparius tenebit bartam, vicarius advocati librabit malleum ligneum et amputabit manum. [23] idem advocati vicarius eruet oculos, truncabit testiculos, decollabit et ceteras penas omnes exequetur pro varietate criminum. [24] est item cypparii officium, ut ita sit obediens theloneario et monetario sicut causidico. [25] pulsatos etiam coram causidico vel judicibus vocare debet ad judicium.

[26] Est autem iste modus vocationis: nominabit hominem pulsantem intimabitque adversario suo, quod pulsatus sit, vel viva voce presenti, ubicumque ei occurrerit, vel ad domum illius nunciabit primo, secundo, tercio ad inducias noctis unius. [27] si, facta una vocatione vel secunda vel tercia, non venerit et nuntius judicis probaverit tercia manu, quod tres illas vocationes vel saltem primam ore ad os fecerit, ille judici componet triginta solidos. [28] vocatus autem ad judicium tempore prime se presentare debet et, quam diu judex sedebit in judicio, tam diu pulsatorem expectabit aut licentia judicis recedet. non autem ideo debet ei negare licentiam abeundi, si petierit. quodsi judex appellaverit eum, quod constituto tempore non venerit, ille jurabit, se ibi fuisse, aut componet ei.

[29] Causidicus vel judex nihil judicare debet, nisi quod coram ipso delatum fuerit. qui si convictus fuerit sine judiciario ordine et justo judicio aliquid fecisse, de jure perdet officium suum. [30] civem in procinctu itineris existentem scilicet jam navim ingredientem aut equum vel currum ascendentem nullus concivium suorum per querimoniam impedire debet. sed quia adeo se neglexit, quod causam suam in illum articulum distulit, justum est, ut, quicquid adversus illum habet, usque ad reditum ejus differat. [31] si quis concivem suum pulsaverit extra civitatem coram alio judice, pro hac culpa debet componere et judici civitatis et ei, quem pulsavit, dampnumque illi restituere, quod ex querimoniis ejus acceperit. [32] nulli solvenda est compositio, nisi cui facta est compositio. [33] omnis autem compositio, que pro frevela fit, ascendit ad triginta solidos. compositio, que fit pro geltschulda, pulsatoris est illius missetat, qui pulsatus est. judicis vero est tertia pars illius missetat. [34] si quis fecerit compositionem judici et pulsatori illamque ad certas inducias non persolverit, si causa usque ad finem rationabiliter fuerit perducta, servandus est in publica custodia, quousque reddat primo pulsatori suam compositionem deinde judici. [35] si quis alium fuerit injuriatus verbo vel facto in populo, si ambo volunt stare ad judi-

cium populi, judex determinabit secundum judicium et dictum populi. sin autem, pulsatus simplici sua assertione se expurgabit vel eum ille convincere poterit duello. [36] si quis concivem suum sine judice vel nuncio judicis infra septa domus sue vel atrii sui temere invaserit, componet judici triginta solidos pro frevela. illi, quem invasit, componet suam missetat triplicatam. [37] in omnes curias fratrum de claustris vel ministerialium, in quibus ipsi corporaliter non habitaverint, jus habet scultetus vel judex vocandi ad judicium et cogendi inhabitatorem. [38] similiter et ministros fratrum de quocunque claustro jus habet judicandi de ipsis, scilicet in causis pertinentibus ad mercaturam, si volunt esse mercatores. [39] quicunque intraverit civitatem debitor existens alicujus hominis, si pulsatus fuerit coram judice, canonicus vel ministerialis, in cujus domum ille forte hospes intravit, presentabit eum sculteto ad justiciam. quod si non fecerit, pro illo respondere tenetur. [40] omnium compositionum factarum pro furto et pro frevela due partes sunt causidici, tercia advocati. in quibus talis est servanda distinctio: si compositio facta fuerit advocato, ejus est dividere sibi terciam partem, causidico duas. ipse enim accipiet compositionem sibi factam et, quamcunque summam in accipienda compositione ipse formaverit sive parvam sive magnam, illam causidicus nec minuere nec augere debebit sed ratam habebit. [41] e contrario, si facta fuerit compositio ipsi causidico, ejus erit jus accipere duas partes et terciam advocato dare. et similiter, quamcunque compositionis ipse summam formaverit, advocatus non cassabit. [42] advocatus autem non debet judicare nisi in palacio episcopi. quodsi in domum suam aliquem vocaverit, ille, qui non venerit, non ideo quicquam ei componet. [43] mortuo vero advocato vel vacante advocatia quocunque modo, episcopus nullum advocatum ponere debet sine electione et consensu canonicorum, ministerialium et burgensium.

[44] Ad officium burcgravii pertinet ponere magistros omnium officiorum fere in urbe, scilicet sellariorum, pellificum, cyrothecariorum, sutorum, fabrorum, molendinariorum et eorum, qui faciunt vasa vinaria et picarios, et qui purgant gladios, et qui vendunt poma, et cauponum. et de eisdem habet potestatem judicandi, si quid deliquerint in officiis suis. [45] locus autem judicationis et emendationis eorum est in palacio episcopi. [46] si qui vero predictorum inobedientes facti fuerint burcgravio, ipse causam defert ad episcopum. [47] item ad jus burcgravii spectat quedam thelonea accipere, ut gladiorum, qui vaginis inclusi portantur in foro venales. aliorum autem, qui in navibus de Colonia vel undecunque portantur, theloneum accipiet thelonearius. [48] item olei, nucum, pomorum, undecunque adducta fuerint et vendita pro nummis, theloneum accipiet burcgravius. si vero pro sale vel vino vel frumento[1] vel quocunque alio precio vendita fuerint, theloneum dividet burcgravius cum theloneario.

[49] Preter predicta omnia thelonea alia pertinent ad officium

thelonearii. que tamen fiunt diverso modo. [50] si quis de navi una in alteram navim mercaturas suas transposuerit, de utraque navi dabit quatuor denarios. [51] quicunque mercator transierit in hanc civitatem cum soumis suis, si nichil vendiderit vel emerit, nullum theloneum dabit. [52] quicunque de familia ecclesie hujus vir vel mulier vendiderit in hac civitate res, quas vel manibus suis fecerit, vel que creverint ei, non dabit theloneum. et si quid emerit ad opus suum, quod gracia lucri vendere noluerit, similiter theloneum non dabit. si quis tamen imposuerit ei, quod res vendite sibi non creverint, ab ipso facte non fuerint, vel causa lucri emerit, simplici manu sua se expurgabit. [53] si quis emerit vel vendiderit citra quinque solidos, theloneum non dabit. [54] de quinque solidis nummum dabit, de talento quatuor, de equo quatuor, de mulo quatuor, de asino denarium. [55] theloneum de carbonibus et de canapo thelonearius non accipit, quod episcopi hucusque sumpserunt, sicut et bannum de vino et panes, qui dicuntur bernbrot, obtinuerunt. [56] ad officium thelonearii pertinet omnes mensuras minutas sive grandes in sale, in vino, oleo, frumento a magistro cauponum formatas ignito ferro cauteriare. et eas nulli debet concedere nisi forsan concivi suo ad amam vini vel quartale frumenti et in hujusmodi parvis et sine pretio. [57] has tamen quicunque civium voluerit ad opus suum habere, licet ei ita, quod ex thelonearii consciencia et per ipsum signate sint, sicut etiam licet unicuique burgensium pondera librarum in domo sua propria habere, ita tamen, quod a monetario sint formata. [58] est item officium thelonearii omnes pontes de nova urbe, quotquot fuerint necessarii, et burcgravii omnes de veteri construere ita firmos, quod cum plaustris et jumentis suis quilibet secure possit transire. quodsi ex vetustate vel nimia attritione vel quacunque debilitate pontium aliquis dampnum accepit, thelonearius aut burcgravius singuli in suis cogentur de jure restituere.

Sequitur de officio monetarii.

[59] Hic ex jure potestatem habet judicandi in falsam monetam et in ipsos falsarios tam in civitate quam extra per totum episcopatum sine omni judicum contradictione. [60] ubicunque invenerit falsarium in toto episcopatu, adducet eum in civitatem et secundum judicium civitatis judicabit. [61] debet autem moneta esse in eo pondere, quod viginti solidi faciant mercam, qui denarii dicuntur pfundig. et hec stabilis et perpetua currere debet in hoc episcopatu, nisi forte falsata fuerit. tunc enim per concilium sapientum mutabitur secundum aliam formam, non secundum pondus. [62] locus autem percutiende monete est juxta piscatores. in una autem domo percutiendi sunt denarii, ut omnes invicem opera manuum suarum videant. [63] nullus facere denarios debet, nisi qui sit de familia hujus ecclesie. [64] in loco, ubi cambitores sedent, nullus alius homo argentum emere debet nisi soli denariorum percussores. alibi per totam civitatem emant

et vendant argentum quicunque volunt, nisi propter novam monetam interdictum fuerit. [65] quando nova moneta percutitur et vetus interdicitur, a die interdictionis nunciabuntur terno quatuordecim dierum inducie, scilicet sex septimane, in quibus monetarius, quemcunque voluerit, potest impetere, quod interdictam monetam acceperit. quodsi ille negare voluerit, cum septima manu jurabit se non fecisse, alioquin componet monetario sexaginta solidos. [66] finitis sex septimanis, nullum impetere debet, nisi quem viderit accipere interdictam monetam. [67] si viderit, accipiet denarium, ducet eum in judicium ibique ipsum pulsabit. et si ille negaverit, cum honestis tribus personis convincet eum, quod acceperit. et convictus sexaginta solidos componet ei. quodsi noluerit eum convincere, ipse manu sua se expurgabit. [68] non licet autem aliquem impetere nec debet quisquam componere nisi pro denariis, qui dicuntur phundig. [69] si quis etiam coram monetario dampnationem manus acceperit, judicabitur sicut supra coram causidico. [70] si episcopus voluerit argentum de camera sua fundere et inde denarios percuti, accipiet illud magister monete et dividet inter monetarios, ut inde denarios faciant. et si denarii sunt phundig, reddet de marca viginti solidos minus duobus denariis. [71] si autem in quocunque pondere leviori percussi fuerint, semper duobus denariis minus reddetur de marca. [72] de camera episcopi ministrabuntur ei carbones. ad marcam dantur tria sextaria carbonum. [73] quando novam monetam episcopus percuti jubet, a principio quinque solidi fiunt in ea forma et pondere, quo moneta cursura est. [74] hos servabit burcgravius, quam diu moneta illa durabit, racione ut, si forte moneta illa falsata esse accusetur, per illos quinque solidos examinetur et certificetur. [75] monetarius quoque jurabit, quod in eo pondere et forma, quam illi quinque solidi habent, monetam sit percussurus. [76] quando monetarius ferramenta, in quibus denarii formantur, episcopo resignabit, reddet ei duo in forma nummorum et duo in forma obulorum. preterea alia omnia ita ex toto resignabit, quod jurabit se non habere plura nec scire aliquem habere. in quibus forme delebuntur et frangentur. fragmentaque monetario reddantur aut ipse cum licentia episcopi integra et illesa retinebit. [77] quicunque jus monetariorum habere desiderat, dimidiam marcam auri dabit episcopo, monete magistro quinque denarios auri, monetariis viginti solidos gravis monete. [78] quando episcopus monetam mutare voluerit, ferramenta monete per sex ebdomadas dabit. [79] quicunque monetarius extra civitatem habitans in civitate argentum emerit, justiciam monete persolvat.

[80] Quicunque muros vel vallum civitatis dissipaverit, componet quadraginta solidos burcgravio. [81] quicunque super stratam edificaverit, similiter dabit ad emendationem burcgravio. nulli vero debet licenciam dare. [82] nemo fimum aut purgationem ante domum suam ponat, nisi statim educere velit, exceptis locis

ad hoc statutis, scilicet juxta macellum, item juxta sanctum Stephanum itemque juxta puteum in foro equorum et apud locum, qui dicitur Gewirke. [83] vallum civitatis debet in circuitu habere extra a muro sexaginta pedes, intus triginta pedes. [84] quicunque molendinum facere voluerit, licentiam a burcgravio et consensum burgensium queret. quibus duobus habitis, aureum nummum burcgravio dabit. [85] nemo tribuat theloneum de nattis, de pullis, de anseribus, de ovis, de porris, de caulibus et aliis quibuscunque oleribus, de scutellis, de bechariis, nisi vendat valens quinque solidos. [86] nemo porcos in civitate debet habere, nisi pastori eos committat. [87] curtis autem, ubi porci pascuntur, est inter portam, que dicitur Vellemannes burgetor, et aliam portam proximam.

[88] Ad jus episcopi pertinet, ut de hac civitate habeat viginti quatuor legatos et hos tantum de genere mercatorum. quorum officium est infra episcopatum tantum facere legationes episcopi ad homines suos. quodsi dampnum interim aliquod passi fuerint vel in persona vel in rebus suis, quas in itinere duxerint, episcopus debet eis restituere. [89] debent singuli singulis annis hujusmodi legatione ter fungi cum expensis episcopi. hiis ex parte episcopi talis honor exhibendus est, quod in suis festivitatibus, quando homines suos invitaverit, debent honestas coram ipso sedes habere ad prandium, ut eisdem hominibus suis eo notiores efficiantur. [90] cum episcopus intraverit civitatem, equi stabulandi sunt in dominico stabulo, quod incipit ab hospitali et procedit in circuitu muri usque ad pomerium episcopi. [91] si plures habuerit equos, assument eos causidicus vel judices sui et marscalcus et stabulabunt eos in domibus, ubi peregrinorum solent esse hospicia. si plures equos habuerit, non ponet eos de jure in aliquibus aliis domibus civitatis, nisi id per preces obtinere poterit. [92] si autem imperator vel rex intraverint, equi sui ubique hospitabuntur. [93] debent etiam singuli burgenses in singulis annis quinquies operari numero dierum in dominico opere, exceptis monetariis omnibus, qui sunt de familia ecclesie, et exceptis duodecim inter pellifices et exceptis sellariis omnibus et quatuor inter cyrothecarios et quatuor inter panifices et octo inter sutores et fabris omnibus et carpentariis omnibus et carnificibus et cupariis vinariorum vasorum.

[94] Ad curtim dominicam, que est infra civitatem, dabit causidicus tredecim boves ad aratra episcopi, quos sumet de casu hominum ecclesie morientium, et jumentum unum, quod magister curtis equitabit et semina ducet ad agros. [95] dabit etiam duodecim sues et duos verres, unum ad opus episcopi, alium ad opus burgensium. [96] episcopus in eadem curti ponet stadelarium. stadelarius dabit aratrum et egedam. [97] cetera omnia, que necessaria sunt, prebebit causidicus, excepta mercede et annona servientium. [98] judicum uterque dabit in messibus quinque solidos et magister molendinariorum unum solidum et magister cau-

ponum unum solidum ad emendum panem in messibus. [99] et quando trituratur frumentum episcopi, dabit utrique judici maldrum unum, quia judices et precones custodire debent frumentum episcopi in messibus, dum metitur. [100] boves ad aratra episcopi pertinentes non debet causidicus in alium usum applicare, nisi foret ad colendam suam Schuchbuze, nec episcopus in alios usus transferre nisi aratri sui. [101] si inter hos boves unus vel duo vel plures senio vel aliquo alio modo preter morbum contagii fuerint inutiles redditi ad culturam, carnifices debent carnes eorum vendere et nummos causidico dare. et interim nulle alie carnes vendende sunt.

[102] Inter pellifices duodecim sunt, qui cum expensis episcopi facere debent pelles et pellicia, quantum episcopus habuerit necesse. horum materiam magister pellificum, assumptis secum, quotquot fuerint necessarii, de hiis duodecim, emet de argento episcopi vel Maguntie vel Colonie. si dampnum aliquod in via acceperint tam in rebus quam in captivitate, episcopus debet eis restituere. [103] fabrorum jus est, quando episcopus ierit in expeditionem imperatoris, quod quilibet faber dabit equorum ferramenta quatuor cum clavis suis, de quibus dabit episcopo burcgravius ad viginti quatuor equos, reliqua sibi retinebit. [104] si ierit episcopus ad curiam, quilibet dabit duo ferramenta cum clavis suis, de quibus burcgravius ad duodecim equos dabit episcopo, reliqua retinebit. [105] preterea fabri debent omnia facere, que necessaria habuerit episcopus in palacio suo, sive in januis sive in fenestris sive in januis vasorum, que de materia ferri fieri conveniat, data eis materia ferri et ministrata interim vivendi expensa. [106] si castrum aliquod episcopus obsederit vel ei obsessum fuerit, trecentas sagittas dabunt. si pluribus eguerit episcopus, de sumptibus suis et expensis sufficienter administrabunt. [107] clausuras et cathenas ad portas civitatis obserandas, datis sibi de re publica sumptibus et expensis, facere debent. [108] inter sutores octo sunt, qui episcopo eunti ad curiam vel expeditionem imperatoris dabunt thecas candelabrorum, baccinorum et cyphorum. reliqua omnia, quecunque necessaria fuerint ad predicta vel ad obsidiones castrorum, sive in bulgis sive in bustris sive in quacunque conveniente predictis negotiis suppellectile de nigro corio facienda, de sumptibus et expensis episcopi facient. [109] quatuor inter cyrothecarios eunti episcopo ad curiam vel expeditionem dabunt, quantumcunque fuerit necessarium de albo coreo ad thecas candelabrorum, baccinorum et cyphorum. reliqua omnia, quantumcunque fuerit necessarium ad predictas res et ad castrorum obsidiones, de alba coreo facient de sumptibus et expensis episcopi. [110] sellarii episcopo eunti ad curiam duas sellas soumarias dabunt, ad expeditionem imperii quatuor. si pluribus eguerit, de sumptibus et expensis episcopi facient. [111] episcopo eunte in expeditionem vel ad curiam, qui gladios poliunt, debent purgare gladios et galeas vicedomini, marscalci,

dapiferi, pincerne, camerarii et omnium, qui necessarii et cotidiani sunt ministri episcopi. preterea purgabunt venabula episcopi, si necesse fuerit. [112] becherarii omnes becharios, quoscunque necessarios habuerit episcopus vel in curia sua vel imperatoris, cum eum adierit, vel proficiscens ad curiam imperatoris, de sumptibus et expensis ipsius facient. magister autem cupariorum dabit materiam lignorum. preterea cotidie dabit ligna becherariis episcopi. [113] cuparii, data materia lignorum a magistro suo et circulis ligaminibusque datis a cellerario episcopi, facient omnia, quecunque necessaria habuerit episcopus domi existens vel imperator vel imperatrix, cum presentes fuerint, ad balnea sua et preterea ad coquinam et ad opus pincernarum. similiter et, cum vadit ad curiam, eadem omnia prebebunt cum sumptibus et expensis episcopi. preterea omnia vasa vinaria parva et magna episcopi ligabunt cum sumptibus et expensis ejus. [114] cauponum jus est singulis diebus lune purgare necessarium episcopi et granarium, si habere voluerit. [115] molendinarii et piscatores debent episcopum in aqua vehere, quocunque voluerit, inter Rust superius et Velletor inferius. quibus theloncarius prebebit naves, quotcunque fuerint necessarie. ipsi enim cum remis suis intrabunt et reducent eas ad pomerium episcopi, unde et duxerunt, cum expensis ipsius. dabunt autem piscatores duos viros, molendinarii tercium virum. si de sua negligentia naves perdiderint, solvent; si vi fuerint eis ablate, episcopus restituet. [116] piscatores debent piscari ad opus episcopi inter nativitatem sancte Marie et festum sancti Michahelis singulis annis tribus diebus et tribus noctibus cum omnibus suis instrumentis, cum aqua plus fuerit idonea, inter Velletor inferius in Reno et Rust superius, in Alsa usque Ebersheim, in Bruscha usque Mollesheim, in Schuttura usque Merburg, in Kintsika usque Kinzdorff cum expensis episcopi. infra terminos hos nullus eos excludere audeat ab aliqua aqua, nisi que sub claustris coarctata est. [117] in Bruscha a vallo superiori civitatis usque ad inferius juxta sanctum Stephanum nullus audeat piscari sine licentia episcopi vel dapiferi sui. [118] carpentarii singulis diebus lune debent in opus episcopi ire cum expensis ipsius. cum summo mane venerint ante palacium, non audeant recedere ante sonitum campane, que ad missam mane pulsatur. si interim non fuerint in opus episcopi assumpti, liberi ea die recedant. non sunt cogendi ire in alicujus opus alterius nisi episcopi.

54b. Das II. Strassburger Stadtrecht [um 1200].

Abgedruckt aus Urkundenbuch der Stadt Strassburg I. Bd. (1879) S. 477—481. — Vgl. E. Kruse (s. oben No. 54a).

In nomine sancte et individue trinitatis. amen. notum sit omnibus Christi fidelibus tam presentibus quam futuris, qualiter

cives Argentinensis civitatis sapientiores et honorabiliores tanquam justicie et equitatis amatores ductu racionis convenerunt et de consensu et consilio domini episcopi, advocati omniumque majorum eandem civitatem colentium hec instituta statuentes describi fecerunt:

[1] Statutum est, ut duodecim vel plures, si necesse fuerit, honeste et ydonee persone sapientes et discrete tam inter ministeriales quam inter cives ponantur annuatim consules civitatis. inter quos unus magister vel duo, si necesse fuerit, eligantur, qui jurant omnes invicem honorem ecclesie, episcopi et civitatis ad omnia fideliter promovere, civitatem et cives majores ac minores, divites ac pauperes ab omni malo pro posse et nosse defendere et per omnia secundum veritatem juste judicare. [2] sedebunt autem pro tribunali ad judicandum omni ebdomada duabus vicibus, scilicet in feria tercia et in feria quinta, nisi propter festos dies omittant. magister vero judicabit, consules dabunt sententiam. [3] nullus de consulibus debet verbum alicujus proferre vel sine licentia magistri et consiliariorum ad consilium alicujus amici sui de tribunali ire. [4] non licet, ut pater et filius vel duo fratres simul in consules eligantur. [5] quandocunque ardua negotia coram domino episcopo vel alibi sunt tractanda, consules primo congregabuntur ad invicem et, si opus fuerit, scabini vocantur ad consilium. [6] consules autem non judicabunt secundum jus provincie, quod dicitur landreht, sed secundum veritatem et statuta civitatis subscripta:

[7] Statutum est, ut, quicunque aliquem verbis injuriare vel vituperare presumpserit et de hoc coram consilio civitatis duobus vel tribus testibus convictus fuerit, triginta solidos denariorum componat et, omni petitione postposita, tam diu extra civitatem manebit, quousque hos triginta solidos persolvat et leso satisfaciat. [8] quicunque autem alium depilaverit vel pugno vel aliquo modo sine sanguinis effusione percusserit, si duobus testibus convictus fuerit, quinque libras componat. [9] si quis vero aliquem armis vulneraverit, si deprehensus fuerit, servabitur in publica custodia usque ad mortem vel sanitatem lesi et secundum culpam suam puniendus erit. [10] si lesus morietur, reus capitali sententia plectetur. si autem evaserit, pro sanguinis effusione, data coram sculteto sententia, reus in cyppo dextra manu truncabitur. [11] quodsi reus effugerit, si proprietatem vel hereditatem habuerit, domus sua destruetur vel, si consules et scultetus voluerint, domus sit communis et pateat omnibus, depositis fenestris ac januis, quousque amicitiam lesi obtinuerit et consulibus, sculteto, advocato emendationem exhibuerit et civitati. [12] componet autem consulibus quinque libras, sculteto et advocato triginta solidos. [13] si autem proprietatem vel hereditatem non habuerit, bona rei mobilia in potestate erunt consilii, ut judicibus et ipsi leso exinde satisfactionem exhibeant. [14] quandocunque coram consulibus pro frevela facta fuerit compositio, justicia sculteti et

advocati patebit, quemadmodum coram ipsis in judicio facta fuerit compositio. [15] quicunque domum vel curiam alicujus intrando hospitem vel familiam suam verbo vel opere molestaverit, si hospes in instanti se defendendo vindictam in illum sumpserit et ipsum leserit, nullam proinde tenetur compositionem seu emendationem porrigere. si autem lesus insons esse voluerit et hospitem ad judicium pulsaverit, hospes in judicio sola manu se expurgabit. [16] si quis judici calamum porrexerit pro emendatione et in manu judicis de oblivione calamum dimiserit et judex ipsum ob hoc infestaverit, judici pro delicto novem denarios dabit. [17] homines sanctorum vel aliarum ecclesiarum, qui alieno jure gaudent, dabunt emendationem, id est wette, in judicio judici secundum pertinentiam et jus eorum cum juramento. [18] quicunque autem jurare noluerit, dabit singulo wette octo denarios. si autem aliquis in judicio convictus fuerit uno „beredet", dabit duos solidos. [19] quicunque personaliter ducatum prestitit ad querendum concivem suum in domo sua manu violenta, de propria persona sua trium virorum emendationes scilicet frevele persolvat. et postea quilibet coadjutorum suorum pro se triginta solidos persolvat. [20] si aliqua dissensio et rixa inter concives oritur et illic concursus fuerit, nullus arma arripiet, nisi prius ante monasterium beate virginis coram consiliariis appareat et ibi eorum utatur consilio. consiliarii vero ob bonum pacis et ad sedandam discordiam arma debent arripere. [21] hiis itaque exceptis, quicunque extra domum suam in adjutorium amicorum suorum arma tulerit, quinque libras civitati componet. quas si habere non poterit, a civitate ejiciatur, donec secundum arbitrium consiliariorum emendetur. [22] preterea statutum est, ut, quicunque de provincialibus aliquem concivem nostrum tam in persona quam in rebus ledere vel molestare presumpserit, si ante compositionem civitatem ingressus fuerit et ille, quem lesit, vel aliquis amicorum suorum vindictam in eo sumpserit, ad nullam inde teneatur emendationem, querimonia tamen prius consiliariis deposita et reo denunciata.

[23] Preterea omnium beneplacito electi et statuti sunt scabini vite probabilis bonique testimonii, qui in electione sua jurare debent coram consulibus testimonium veritati perpetualiter exhibere super omnibus, que viderint et audierint. [24] isti vero testes inducendi sunt in venditionibus et emptionibus ac creditionibus et persolutionibus debitorum et in omni causa. deinceps vero non sunt super aliqua causa juraturi, sed per primum juramentum ipsorum interrogandi. [25] quicunque autem tam vir quam femina debitum suum coram duobus istorum testium seu coram duobus, qui sunt in consilio, creditori recognoverit et postea per intercidentem aliquam controversiam alter eorum negaverit, solo testimonio quorumlibet duorum predictorum virorum coram consilio vel judice convincatur et convictus unam carrutam vini et libram denariorum consulibus componat, sculteto et advocato triginta solidos et singulo scabino, quorum testimonio convictus est, quin-

que solidos ob hanc causam, quod perjuria, que sepius in judicio ex incognito fiebant, rarius usitentur.

[26] Mulieres vero, que hactenus debita virorum suorum persolvere non consueverant, ea, que creditoribus suis coram testibus scabinis professe fuerint, ex testimonio convicte persolvere teneantur. [27] preterea statutum est, ut, quicunque introductionem testium pro debito suo in civitate contempserit presentare, debitorem suum duello non poterit infestare, sed juramento exhibito innoxius manebit.

[28] Denique, quicunque noctibus cum cultellis vel cum aliqua armatura incesserint, tanquam malefactores suspecti puniantur, nisi legitima excusatione se possint excusare.

[29] Statutum est quoque, quod nullus concivium nostrorum, qui habent pistrina, in festo sancti Martini pistoribus suis vinum aut alia munuscula mittere debet et in nativitate Domini aut in aliis festivitatibus ipsos invitabit ad prandium. [30] similiter, qui lapicidas aut carpentarios habuerit, ipsos non habebit in cena nec in festis diebus in prandio. [31] hoc quicunque dando vel recipiendo infregerit, viginti solidos civitati dabit.

[32] Infra civitatem extra domum suam nullus porcos nutrire debet. nam quicunque vagantem porcum in platea sine ductore ceperit, ipsum, si voluerit, reservabit, donec ab illo, cujus porcus est, quinque solidos recipiet.

[33] Illi siquidem de civibus, qui naute dicuntur, universos concives nostros divites et pauperes tam de pondere proprie persone quam de pondere equi, quem sedent et equitant, sine pretio transducent et reducent ita prompte, quod a nullo possint incusari, quod luculenta occasione tardaverint et ipsum impedierint. nam qui de hoc convictus fuerit, viginti solidos civitati persolvet. [34] mercatores quoque concives nostri de pecoribus vel de aliis mercimoniis suis, que propria persona vel in equo, quem sedent, ferre non possunt, nautum reddent institutum. et de propria persona, sive sint in equis sive ad pedes, erunt immunes. [35] ob hujus laboris recompensationem statutum est, ut nullus aliquem transducat preter nautas predictos, qui a domino advocato portum receperint.

[36] Carnifices vero carnes suinas vel inustas, que phynnehte sunt, infra tecta macellorum nullatenus habere debent venales sed extra tecta. [37] interdictum est, ne vina venalia in Bruscha in navibus vel ante monasterium in plaustris ante primam figantur vel vendantur.

[38] Illi autem, qui zolnere dicuntur, non debent naves intrare nisi peticione et jussu concivium nostrorum.

[39] Prohibitum est etiam et interdictum de consensu omnium per diffinitivam sententiam, ne aliquis tam vir quam femina de concivibus nostris bona sua, que in civitate sunt sita, conferat alteri in dotem extra civitatem in provincia, sed in civitate coram honestis viris publice.

[40] Quando domini in alicujus domum concivis nostri venerint, si joculator medio tempore in domo illa manducaverit, hospes domus libram unam civitati persolvet, nisi joculator de provincia cum hospitibus in civitatem venerit.

[41] Cuparii debent facere vasa ad quadraginta amas et sine spint.

[42] Nulli debent in civitate corizare in loricis vel alia armatura.

[43] Nullum vinum post aliud vendi debet equali precio sola die in uno cellario vel taberna. quicunque hoc mandatum transgressus fuerit, viginti solidos civitati dabit. [44] quicunque etiam vina injuste mensuraverit, de scupha cadet in merdam et hospes, cujus vina sunt, dabit talentum.

[45] Preterea interdicte sunt iste consuetudines, scilicet annuli visitales, annuli sponsales et omnia munera, que forte darentur in locum annulorum. [46] item interdicti sunt denarii, qui dabantur dominabus in puerperiis, et qui dicuntur hantgiftphenninge in natalibus, ita quod nullus vir vel femina presumat aliquem denarium dare ni solummodo sue familie, que manet in domo sua. [47] ad nuptias sponsales non maneant in mensa nisi octo viri et octo femine ab utraque parentela invitati equaliter et quatuor joculatores viri et non femine. ulterius nullus joculator vel joculatrix mittantur alieni vel aliqua dona ipsis conferantur. [48] quicunque ad nuptias plures viros feminas vel joculatores habuerit aut annulos dare presumpserit, manebit extra civitatem per unum mensem ultra miliare et non intrabit civitatem, quousque consulibus quinque libras persolverit. [49] si vero aliquis joculator vel aliqua joculatrix non invitati in mensam alicujus manducare presumpserit, hospes domus dabit ad penam decem solidos denariorum et servientes judicum auferent vestimenta joculatoris.

[50] Si autem de civibus nostris aliquis de predictis mandatis aliquid transire vel infringere presumpserit, dabit ad penam decem libras denariorum, quorum medietas cedit operi civitatis, altera pars consulibus civitatis et custodibus predictorum mandatorum. [51] custodes autem quatuor statuentur omni anno in renovatione consiliariorum, scilicet duo de consulibus et duo de scabinis, qui jurabunt prefata mandata fideliter custodire.

[52] Quicunque de concivibus nostris in tempore belli vadit in aliam civitatem cum armis suis sine licentia magistri civium nostrorum et consilii et cum aliis civibus exit et procedit, dabit quinque libras et a jure civitatis nostre separabitur. [53] si aliquis lesionem vel offensam sibi illatam conquerendo magistro deponit et propter querimoniam magistro delatam fuerit et iterato male tractatus, ille, qui fecerit temeritatem, dabit civitati tres emendationes, scilicet quindecim libras propter renovatam indisciplinam, et quilibet coadjutorum suorum dabit quinque libras. [54] quandocunque inter cives nostros orta fuerit ira et contentio et magister

cum consulibus ad bonum pacis treugas servare fecerit, quicunque contra magistrum rebellis fuerit et treugas servare noluerit, si consul est aut scabinus, ab honore sui officii privetur, alia vero persona, que non est consul aut scabinus, dabit quinque libras et per annum unum extra civitatem manebit.

[55] Judices civitatis presidere debent judicium in prima pulsatione prime. pulsati vero comparebunt in judicio, quousque secunda campana prime pulsata fuerit ad finem, et tunc recedent. et si medio tempore pulsator non venerit, judici emendabit.

[56] Panni grisei, qui non sunt in altitudine duarum ulnarum et quartali unius ulne, debent comburi. et si intermixti sunt crinibus, similiter igne comburantur. et erga hospites non debent emi panni, qui minoris sunt latitudinis et crinibus sunt intermixti. si autem idem panni empti et recepti fuerint, similiter comburantur.

[57] Hec sunt claustra, que in exitu civitatis ministrabunt equos ad plaustrum vexilli: Ebersheim, Marpach, Morsmunstre, Nuwilre, Swarzach, Gengenbach, Schutere. ministrabit autem prepositus sancti Arbogasti palafredum unum, quod scultetus cum plaustro equitabit. judei facient vexillum.

55. Magdeburger Weistum für Culm 1338.

Abgedruckt aus P. Laband, Magdeburger Rechtsquellen (1869), S. 139 bis 141. — Ueber das Magdeburger Recht, die Stellung Magdeburgs als Oberhof vgl. R. Schröder, Lehrbuch der deutschen Rechtsgeschichte (1889) S. 637 ff.

1. Ab ein ratman mag werdin abgesaczt. Den erbern mannen den ratmannen der stat zu Kolmen enpite wir scheppin der stat zu Meydeburg unse willegin dinst. Ir habit uns gevraget in ouwern briven, ab di rotlute mogin kisin rotmanne unde burgermeister und schepphin bi in zelbin ane den burggreven adir ab der burgreve di macht habe, daz her der gekoren rotmanne keine moge abe gezeczen und einen andirn moge wedir seczen. Daz spreche wir vor ein recht: daz di rotmanne mogen wol rotmanne kisen zu einem jare unde einen burgermeister adir zwene undir sich ouch zu einem jare. Und der burgreve hat keine macht, daz her der gekoren rotmanne moge keinen abegezeczen und einen andirn wedir geseczen von rechtis wegene.

2. Wer andir schepphin sal kisin. Unde die schepphin sullen andir schepphin kisen und di si gekisin di sullen schepphin bliben, diwile si lebin; und di rotmanne haben keine macht, daz si schepphin kisin mogen von rechtis wegene; unde di selbin gekorn schepphin sal von rechtis wegene der burgreve stetegin.

3. Ab die rotman mogin wilkur machin. Ouch habit ir uns gevragit, ab di ratmanne mit ire gemeine burger wille moge geseczen wilkur undir in bi groser buse adir bi cleiner ane des burggreven willen und ab di rotmanne sint mechtik di

selben buze zu vordirn unde zu behaldene ane den burgreven und den schultheisen adir ab ir kein *teil* dorane habe, und ab ein man breche, der sich werte der buze zu gebende, wi man im sal di buze angewinnen. Daz spreche wir vor ein recht: daz di rotmanne mogen wol mit ire gemeine burgere wille willekore zeczin undir in bi groser adir bi cleiner buze, wi in daz behagit, daz di willekure daz bescrebene recht nicht krenke; und daz mogen si wol tun ane des burgreven wille unde di rotmanne sullen macht [habin], di buze zu vordirn und zu behalden zu der stat nucze, unde der burgreve und der schultheise insullen kein teil doran han.

4. Ab ein man die buze nicht gebin wil. Unde wer, daz sich daz imant werte, daz her die buze nicht geben wolde, ab her das bekente, den mogen di rotmanne wol ufhaldin unde hindern, alzo want her die lange buze gebe; adir vorsache her daz, zo solde her das mit sime eide uf den heiligen unschuldig werdin.

5. Von wanmase. Vorbas habit ir uns gevrogit, ab di rotmanne di macht habin, daz si richten obir scheffil, obir wage, obir wanmos und obir spizekouf, und ab sich imant der buze weren wolde, wi man die buze von im begrifen [solde]. Daz spreche wir vor ein recht: daz die ratmanne wol macht habin, daz si mogen richten obir scheffel, obir wage, obir wanmaz unde obir spizekouf, und wer daz imant hiran gebreche und der buze nicht gebin wolde, ab her daz bekente, den mogen si hindern und ufhaldin glicher wis, also hi bowene geschrebin.

6. Von schadin des holzis. Ouch habit ir uns gevraget, ab ein man holz howet, wi her den schaden geldin sulle. Daz spreche wir vor ein recht: were daz ein man dem andirn sin holz abehouwe adir sin graz abesnete adir in sinen wasser vischete, den schaden, den her im doran getan hette, ab her daz bekente, den sulde her im geldin nach siner bekentnisse, ab her in dorumme beschuldicte, und dorzu sulde her im sine buze gebin.

7. Wi wit einer ein gast sie geheissin. Ouch habit ir uns gevragit, ab ein *gast* gastis recht behalden wil, wi verre her gesessen sal sin von deme gerichte. Daz spreche wir vor ein recht: wirt ein gast beschuldeget vor gerichte, wil der gast daz bewisin uf den heiligen, daz her verrer wonhaftig si von deme gerichte wen zwelf mile, zo sal man sin recht nemen bi tages. Schuldeget her ouch einen burger in dem zelbin gerichte, der sal bi tages dor antworten, ab der gast is von im nemen wil.

8. Von besaczunge eins gastis gut. Vorbas habit ir uns gevragit, ab ein man gut beseczet, daz einis gastis ist von verren landen, wi man domite geboren sulde, daz in beide rechtis gesche. Daz spreche wir vor ein recht: Bezeczet ein man einis gastis gut, der *busen* landis ist alzo verre, daz man sin nichten gehaben mak, des gastis gut mac man nicht volgen mit rechte,

alzo lange want man den gast daz moge wissin lazen, daz sin gut besaczit si mit gerichte. Wolde denne der gast dar nicht zu komen und vor sin gut antworten, zo mak man sines besaczten gutes volgen, alzo recht ist.

9. Von saczunge geschoss. Vort me habit ir uns gevragit, wen wir ein geschos seczen mit unsir gemeiner burger rate uf di mark, ab unse burger von irem erbe, daz si haben von erim herrin adir von eime andirn hern, buzen der statis vriheit *do* si abe dinen adir zinsin, ab si dovon schuldig sin geschos zu gewende glich von andirm gemeinen gute. Des spreche wir unsir stat willekor und gewonheit: daz iderman vorschusset sin gut buzen der stat und binnen der stat, wo her des hat und alzo lip alzo her daz hat, *bi geswornem eide.*

Daz dese dinc alsus sint, alzo si hir bobin beschrebin stan, daz irzuge wir mit unsir ingesegele, daz wir zurucke an desin brif han gecleibit lasin, den wir gegebin habin noch gotis geburte thusint jar drihundirt jar in deme acht unde drisegisten jare des nesten donnerstages vor phingesten.

56. Privileg Friedrichs I zu Gunsten der Territorialherrschaft des Herzogs von Oesterreich. 1156 Sept. 17.

(Sogen. privilegium minus.)

Abgedruckt aus W. Wattenbach, Die österreichischen Freiheitsbriefe. Prüfung ihrer Echtheit und Forschungen über ihre Entstehung in: Archiv für Kunde österreichischer Geschichts-Quellen VIII. Bd. (1852) S. 110 f. — Vgl. R. Schröder, Lehrbuch der deutschen Rechtsgesch. (1889) S. 376 f., 573 ff.; E. Bernheim, Lehrbuch der historischen Methode (1889) S. 213 ff.

In nomine sancte et individue trinitatis. Fridericus divina favente clementia Romanorum imperator augustus. Quamquam rerum commutatio ex ipsa corporali institutione possit firma consistere vel ea, que legaliter geruntur, nulla valeant refragatione convelli, ne qua tamen possit esse rei geste dubietas, nostra debet intervenire imperialis auctoritas. Noverit igitur omnium Christi imperiique nostri fidelium presens etas et successura posteritas, qualiter nos eius cooperante gratia, a quo celitus in terram pax est missa hominibus, in curia generali Ratispone in nativitate sancte Marie virginis celebrata, in presentia multorum religiosorum et katholicorum principum litem et controversiam, que inter dilectissimum patruum nostrum Heinricum ducem Austrie et karissimum nepotem nostrum Heinricum ducem Saxonie diu agitata fuit de ducatu Bawarie, hoc modo terminavimus, quod dux Austrie resignavit nobis ducatum Bawarie, quem statim in beneficium concessimus duci Saxonie, dux autem Bawarie resignavit nobis marchiam Austrie cum omni iure suo et cum omnibus beneficiis que quondam marchio Liupoldus habebat a ducatu Bawarie. Ne autem in hoc facto aliquatenus minui videatur honor et gloria

dilectissimi patrui nostri, de consilio et iudicio principum Wadizlao illustri duce Boemie sententiam promulgante et omnibus principibus approbantibus marchiam Austrie in ducatum commutavimus et eundem ducatum cum omni iure prefato patruo nostro Heinrico et prenobilissime uxori sue Theodore in beneficium concessimus perpetuali iure sanctientes, ut ipsi et liberi eorum post eos indifferenter filii sive filie eundem Austrie ducatum hereditario iure a regno teneant et possideant. Si autem predictus dux Austrie patruus noster et uxor eius absque liberis decesserint, libertatem habeant eundem ducatum affectandi cuicunque voluerint. Statuimus quoque, ut nulla magna vel parva persona in eiusdem ducatus regimine sine ducis consensu vel permissione aliquam iusticiam presumat exercere. Dux vero Austrie de ducatu suo aliud servicium non debet imperio, nisi quod ad curias quas imperator prefixerit in Bawaria evocatus veniat; nullam quoque expeditionem debeat, nisi forte quam imperator in regna vel provincias Austrie vicinas ordinaverit. Ceterum ut hec nostra imperialis constitutio omni evo rata et inconvulsa permaneat, presentem inde paginam conscribi et sigilli nostri impressione insigniri iussimus, adhibitis testibus ydoneis, quorum nomina sunt hec: Pilgrimus patriarcha Aquilegiensis. Eberhardus Salzeburgensis archiepiscopus. Otto Frisingensis episcopus. Chunradus Pataviensis episcopus. Eberhardus Babenbergensis episcopus. Hartmannus Brixinensis episcopus. Haertwicus Ratisponensis episcopus et . . Tridentinus episcopus. Dominus Welfo. Dux Chunradus frater imperatoris. Fridericus filius regis Chunradi. Heinricus dux Karinthie. Marchio Engelbertus de Istria. Marchio Albertus de Staden. Marchio Diepoldus. Hermannus palatinus comes de Reno. Otto comes palatinus et frater eius Fridericus. *Gebe*hardus comes de Sulczenbach. Rudolfus comes de Swinshud. Engelbertus comes Hallensis. *Gebe*hardus comes de Burchausen. Comes de Buthena. Comes de Pilstain et alii quam plures.

Signum domini Friderici Romanorum imperatoris invictissimi.

Ego Reinaldus cancellarius vice Arnoldi Maguntini archiepiscopi et archicancellarii recognovi.

Datum Ratispone 15. kal. octobris, ind. 4 anno dominice incarnationis 1156 regnante domino Friderico Romanorum imperatore augusto in Christo feliciter amen, anno regni eius quinto, imperii secundo.

57. Privileg Friedrichs I zu Gunsten der Territorialherrschaft des Würzburger Bischofs. Würzburg 1168 Juli 10.

Abgedruckt aus H. Bresslau, Diplomata centum in usum scholarum diplomaticarum (1872) S. 104—108. die Zeugenliste abgekürzt. — Vgl. G. Waitz, Deutsche Verfassungsgesch. Bd. VII (1876) S. 163 ff., 262 f.; R. Schröder s. Nr. 56.

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Fredericus divina favente clementia Romanorum imperator et semper augustus.

Imperialem celsitudinem decet predecessorum suorum pia facta non solum inviolabiliter conservare, sed etiam censurae suae auctoritate alacriter et sollempniter confirmata perhenni commendare memoriae, ne, quod a divis imperatoribus ad laudem Dei necessitatibus aecclesiarium et saluti provinciarum clementer indultum et irrefragabiliter institutum est, decursu temporum vel qualibet rerum varietate posteris hoc fiat dubium vel incertum. In examine namque cuncta Dei conspicientis aequale meritum credimus dantis et data corroborantis. Unde nos piis votis delectamur vetustatis invento et sequi vetera instituta libenter amplectimur, quia locus subreptionibus non relinquitur, quotiens rationabiliter constituta servantur.

Noverit itaque Dei et imperii nostri fidelium tam presens etas quam successura posteritas, qualiter in generali curia Wirzeburg celebrata, ubi inter discordes principes Saxoniae Deo cooperante plenam reconciliationem perfecimus, Heroldus eiusdem civitatis venerabilis episcopus cum omni aecclesiae conventu et spectabili liberorum et ministerialium multitudine nostram suppliciter imploravit clementiam, ut omnem iurisdictionem, quam antecessores sui et aecclesia et ducatus Wirzeburgensis a Karolo magno et omnibus successoribus suis usque ad presens tempus iusta et quieta possessione sine diminutione tenuerunt et possederunt, sibi et aecclesiae et ducatui imperiali auctoritate et privilegii nostri munitione confirmare dignaremur. Quia vero rationabiles petitiones supplicum libenter amplectimur, qui etiam non rogati iusta cogitare debemus, definitas res ab antiquis imperatoribus, quas tamen constat rationabiliter esse decretas et ab aecclesia et ducatu Wirzeburgensi longissimis possessionibus, ut et memoriam hominum excedant, irrefragabiliter habitas et usitatas, nulla volumus deinceps ambiguitate titubare, quia decet firmum semper existere quod antiquitate et diuturna possessione commendatur nec priora quassare valemus, ubi nichil est quod corrigere debeamus.

Inde est, quod prefato Heroldo venerabili episcopo suisque successoribus in perpetuum pro fidei suae et obsequiorum preclaris meritis et interventu sacri collegii predictae aecclesiae, cuius devotio pectoris nostri penetralibus inheret, ac liberorum et ministerialium indefessa supplicatione devicti damus et concedimus et presentis privilegii munimine confirmamus omnem iurisdictionem seu plenam potestatem faciendi iustitiam per totum episcopatum et ducatum Wirzeburgensem et per omnes cometias in eodem episcopatu vel ducatu sitas de rapinis et incendiis, de allodiis et beneficiis, de hominibus et de vindicta sanguinis; statuentes imperiali auctoritate et lege perpetuo valitura decernentes, ne aliqua aecclesiastica secularisve persona aliqua temeritatis presumptione contra instituta antiquorum principum, contra diuturnam et iustam possessionem Wirzeburgensis aecclesiae et nostra intemeranda decreta veniens per totum Wirzeburgensem episcopatum

et ducatum et cometias infra terminos episcopatus vel ducatus sitas iudiciariam potestatem de predis vel incendiis aut de allodiis seu beneficiis sive hominibus deinceps exerceat, nisi solus Wirzeburgensis episcopus et dux vel cui ipse commiserit, hoc excepto, quod comites de liberis hominibus, qui vulgo bargildi vocantur, in comitiis habitantibus statutam iusticiam recipere debent. Imperiali quoque precepto inhibemus, ne aliquis in prefato episcopatu et ducatu vel in comitiis in eis sitis aliquas centurias faciat vel centgravios constituat, nisi concessione episcopi ducis Wirzeburgensis.

Preterea, quia de castro Bramberg quies pacis totius provinciae sepe turbabatur et multorum malorum occasiones contra praefatam aecclesiam exortae sunt, pro pace aecclesiae et salute animae nostrae ipsum castrum destrui fecimus et montem aecclesiae Wirzeburgensi iure proprietatis tradidimus, ne de caetero castrum vel aliqua munitio in eodem monte fiat firmiter inhibentes. Aliud quoque castrum Frankenberg dictum, quod adiacenti abbatiae Amerbach destructionem minabatur et per subreptionem inimicorum aecclesiae Wirzeburgensi poterat inferre periculum, similiter destruximus et montem nullo tempore reedificandum aecclesiae recognovimus.

Sit igitur hac nostra pragmatica sanctione supradictorum omnium omni evo stabilis et firma constitutio, et nemo ullo umquam tempore eam infringere vel cassare presumat. Quicunque autem contra eam venire vel in irritum revocare presumpserit, imperatoriae maiestatis reus severissimae animadversionis paenas exsolvat et mille libras auri purissimi componat, medietatem camerae nostrae et alteram medietatem Wirzeburgensi episcopo et ecclesiae. Quod ut verius credatur et ab omnibus diligentius observetur, presentem inde paginam conscribi et signi nostri karactere firmari et sigilli nostri impressione * insigniri precepimus adhibitis idoneis testibus, quorum nomina hec sunt: Cristianus Magountinae sedis archiepiscopus, Udo Cicensis episcopus, Gerungus Missenensis episcopus, Hugo Fardensis episcopus, Roudolfus Leodiensis episcopus *etc.*

Signum domni Frederici Romanorum imperatoris invictissimi.

Ego Heinricus cancellarius vice Cristiani Magontinae sedis archiepiscopi et archicancellarii recognovi.

Datum Wirzeburg, 6 idus iulii, indictione 1, anno Dominicae incarnationis 1168, regnante domno Frederico Romanorum imperatore gloriosissimo, anno regni eius 16, imperii vero 14. Actum in Christo feliciter amen.

---

* Eine zweite Original-Ausfertigung mit goldener Bulle hat hier aurea bulla nostra statt sig. nostri impr.

58. Privileg Friedrichs I zu Gunsten der Territorialherrschaft des Kölner Erzbischofs. Gelnhausen 1180 April 13.

Abgedruckt aus (O. von Heinemann) Codex diplomaticus Anhaltinus I Teil (1867—1873) S. 429 f. Nr. 581. — Vgl. R. Schröder s. Nr. 56; W. von Giesebrecht, Geschichte der deutschen Kaiserzeit Bd. V, 2 (1888) S. 922 f.

In nomine sancte et individue trinitatis. Fridericus divina favente clementia Romanorum imperator augustus.

Quoniam humana labilis est memoria et turbe rerum non sufficit, predecessorum etatis nostre divorum imperatorum et regum decrevit auctoritas literis annotare que fluentium temporum antiquitas a notitia hominum consuevit alienare. Proinde tam presentium quam futurorum imperii fidelium noverit universitas, qualiter Heinricus quondam dux Bawarie et Westfalie eo, quod ecclesiarum Dei et nobilium imperii libertatem possessiones eorum occupando et iura ipsorum imminuendo graviter oppresserit, ex instanti principum querimonia et nobilium plurimorum, quia citatione vocatus maiestati nostre presentari contempserit et pro hac contumacia principum et sue conditionis Suevorum proscriptionis nostre inciderit sententiam, deinde quoniam in ecclesias Dei et principum et nobilium iura et libertatem grassari non destiterit, tam pro illorum iniuria quam pro multiplici contemptu nobis exhibito ac precipue pro evidenti reatu maiestatis sub feodali iure legitimo trino edicto ad nostram citatus audientiam eo, quod se absentasset nec aliquem pro se misisset responsalem, contumax iudicatus est ac proinde tam ducatus Bawarie quam Westfalie et Angarie quam etiam universa, que ab imperio tenuerit, beneficia per unanimem principum sententiam in sollempni curia Wirciburc celebrata ei abiudicata sunt nostroque iuri addicta et potestati.

Nos itaque habita cum principibus deliberatione communi ipsorum consilio ducatum, qui dicitur Westfalie et Angarie, in duo divisimus et consideratione meritorum, quibus dilectus princeps noster Phylippus Coloniensis archiepiscopus ob honorem imperialis corone promovendum et manutenendum nec rerum dispendie nec persone formidans pericula gratie imperialis promeruit privilegium, unam partem, eam videlicet que in episcopatum Coloniensem et per totum Pathebrunnensem episcopatum extendebatur, cum omni iure et iurisdictione, videlicet cum comitatibus cum advocatiis cum conductibus cum mansis cum curtibus cum beneficiis cum ministerialibus cum mancipiis et cum omnibus ad eundem ducatum pertinentibus ecclesie Coloniensi legitime donavimus et de imperatoria liberalitate contulimus, et requisita a principibus sententia, an id fieri liceat, adiudicata et communi principum et totius curie assensu approbata, accedente quoque publico consensu dilecti consanguinei nostri ducis Bernhardi, cui reliquam partem ducatus concessimus, prememoratum archiepiscopum Phylippum portione illa ducatus sue collata ecclesie vexillo imperiali solempniter investivimus.

Hanc igitur legitimam nostre maiestatis donationem et investituram Coloniensi ecclesie et sepedicto principi nostro Phylippo archiepiscopo omnibusque suis successoribus confirmamus et in omne posteritatis evum eis ratam permanere volentes, ne quis eam ausu temerario infringere vel quomodolibet violare attemptaverit, imperiali edicto inhibemus et hanc nostram constitutionem presente privilegio aurea excellentie nostre bulla insignito corroboramus auctentice testibus annotatis qui huic facto interfuerunt. Sunt autem hii: Arnoldus Trevirensis archiepiscopus. Wicmanus Magdeburgensis archiepiscopus. Cůnradus Salisburgensis archiepiscopus. Sifridus Bremensis electus. Cůnradus Wormatiensis episcopus. Růdulfus Leodiensis episcopus. Bertrammus Metensis episcopus. Arnoldus Osnaburgensis episcopus. Cůnradus abbas Fuldensis. Adolfus abbas Hersfeldensis. Lotarius prepositus Bunnensis. Ludewicus palatinus Saxonie et langravius Thuringie. Bernhardus dux Westfalie et Angarie. Gotefridus dux Lotharingie. Fridericus dux Suevie. Otto marchio de Brandenburc. Teodericus marchio de Lusiz. Dedo comes de Groix. Sifridus comes de Orlamunde. Rubertus comes de Nassawe. Emicho comes de Liningen. Engelbertus comes de Monte. Teodericus comes de Hostade. Gerardus comes de Nůrberc. Henricus comes de Arnsberg. Hermannus comes de Hafsburg. Henricus comes de Kuc. Wernerus comes de Wittichinstein. Widdikindus de Waltecke. Fridericus de Anfurde. Hartmannus de Bůtingin. Wernerus de Bonlande. Conradus pincerna. Heinricus marscalcus de Bappinheim. Sibodo de Groix camerarius et alii quamplures.

Signum domni Friderici Romanorum imperatoris invictissimi.

Ego Gotefridus imperialis aule cancellarius vice Cristiani Maguntine sedis archiepiscopi et Germanie archicancellarii recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis 1180, indictione 13, regnante Friderico Romanorum imperatore invictissimo, anno regni eius 29, imperii vero 26, feliciter amen.

Datum in solempni curia Gelenhusin in territorio Maguntino idibus aprilis.

59. Reichsurteil, dass Fürstentümer dem Reiche nicht entfremdet (mediatisiert) werden dürfen. Würzburg 1216 Mai 15.

Abgedruckt aus Mon. Germ. hist. (Folioserie) LL. II (1837) S. 227 f. — Vgl. R. Schröder, Lehrbuch der deutschen Rechtsgeschichte (1889) S. 576, 503; O. Franklin, Sententiae curiae regiae, Rechtssprüche des Reichshofes im Mittelalter (1870) S. 30 f. Nr. LVIII ff.

Die Verbote eigenmächtiger Teilung und Veräusserung der Fürstentümer seitens der Inhaber, die gewissermassen Gegenstücke zu dem obigen Urteil sind, s. Franklin l. c. S. 9 ff. Nr. XII ff.; vgl. oben Nr. 29 Artikel 4 mit der Anmerkung.

In nomine sancte et individue trinitatis. Fridericus secundus Dei gratia Romanorum rex et semper augustus.

Cum ad summam instantiam precum dilecti principis nostri Chunradi Ratisponensis episcopi cum ipso episcopo nomine ecclesie sue quoddam concambium fecissemus de duobus principatibus, scilicet de inferiori et superiori monasteriis in civitate Ratispona constitutis, pro quibusdam aliis prediis et possessionibus ad prenominatum episcopum et episcopatum suum pertinentibus, accedens ad presentiam regie excellentie nostre in curia solempni Herbipoli domina Tuta inferioris monasterii abbatissa personaliter nec non domina Gerdrudis superioris monasterii abbatissa per suum procuratorem cum aliqua honesta utriusque capituli parte coram principibus et baronibus atque tota curia nostra gravi querimonia protul*erunt* se et ecclesias suas indebite a nobis fuisse gravatas et super hoc adiutorium et sententiam principum postularunt, proponentes firmiter nullum principatum posse vel debere commutari vel alienari ab imperio vel ad alium principem transferri sine voluntate presidentis principis illius principatus et de plano consensu eiusdem ministerialium. Super quo facta a nobis inquisitione per sententiam principum et subsecutionem tam nobilium quam baronum atque ministerialium et omnium qui aderant iudicatum est: nullum principatum posse vel debere nomine concambii vel cuiuscunque alienationis ad aliam personam transferri ab imperio nisi de mera voluntate et assensu principis presidentis et ministerialium eiusdem principatus.

Nos igitur iustitie protectores nullo conamine iuri reniti volentes sententiam ipsam duximus approbandam et quod contra memoratas ecclesias et earum principes pro episcopo et ecclesia Ratisponensi minus debite feceramus omnino retractamus in continenti presente episcopo prefato.

Et ne de cetero similia contingant, decernimus et perpetua firmitudine observandum iudicamus, quod non liceat ulli successorum nostrorum Romanorum regi seu imperatori principatum aliquem, ut superius sententiatum est, ab imperio aliquo modo alienare, sed omnes imperii principatus in suo iure et honore illesos observare.

Ut itaque dilecta fidelis nostra Gerdrudis et successores eius abbatisse nec non regalis ecclesia superioris monasterii hac sententia gaudeant inantea et glorientur in perpetuum, hoc scriptum eis indulsimus sigillo maiestatis nostre roboratum. Huius rei sunt testes: Albertus Magdeburgensis archiepiscopus, Engilbertus electus Coloniensis archiepiscopus, Otto Wirzeburgensis episcopus, Otto Frisingensis episcopus, Sifridus Augustensis episcopus, Ulricus Pataviensis electus, Chuno Cluniacensis abbas, Ludowicus dux Bawarie comes Palatinus, Hermannus et Fridericus fratres marchiones de Baden, Gerardus de Diez, Otto dux Meranie, Hermannus et Ludovicus comites de Wirtenberch, Berhtoldus nobilis de Niffen et filii sui Heinricus et Albertus, Gerardus comes de Rinek, Anshelmus de Iustingen marscalcus imperii, Walterus pin-

cerna imperii, Wernherus dapifer de Bolandia, Dieto de Ravenspurch camerarius imperii et alii quam plures.

Signum domni Friderici Romanorum regis invictissimi secundi et regis Sicilie.

Ego Chunradus Metensis et Spirensis episcopus imperialis aule cancellarius vice domini Sifridi Moguntini archiepiscopi totius Germanie archicancellarii recognovi.

Acta sunt hec Herbipoli anno Domini 1216, regnante gloriosissimo domino Friderico Dei gratia secundo Romanorum rege et semper augusto et inclyto rege Sicilie, anno regni Romani eius 4., Sicilie vero 18. feliciter.

Datum per manus Perhtoldi de Niffen regalis aule prothonotarii anno prenotato idibus maii, indictione quarta.

60. Privileg Friedrichs II für das Herzogtum Braunschweig. Mainz 1235 Aug. 15.

Abgedruckt aus J. L. A. Huillard-Bréholles, Historia diplomatica Friderici II. Vol. IV. Pars II. (1855) S. 754—757. — Vgl. O. v. Heinemann, Geschichte von Braunschweig und Hannover Bd. I (1884) S. 312 ff.

In nomine sancte et individue trinitatis. Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus Jerusalem et Sicilie rex. Gloriosus in majestate sua dominantium Dominus, qui regna constituit et firmavit imperium, de cujus clementia vivimus, de cujus est munere, quod feliciter imperamus, ad hoc nos supra reges et regna preposuit et in imperiali solio sublimavit, ut nobis factori nostro gratitudine devota subjectis pacem et justitiam moderamina nostra contineant, et qui sumus pre filiis hominum ab eo qui preminet orbi terre sublimius exaltati viros dignos honoribus et non immeritos ad sollicitudinis partem admitti liberaliter ad decus et decorem imperii nominis et honoris titulo decoremus.

Hinc est igitur, quod per presens scriptum noverit presens etas et futura posteritas, quod — cum diu propositi nostri foret, ut dilectum consanguineum nostrum Ottonem de Luneburch ad fidem imperii et devotionem nostram efficeremus artius obligatum, nec loci vel temporis oportunitas affuisset, quo conceptam erga eum intentionem nostram prosequi nos deceret, — contingente causa nostri felicis adventus in Alamanniam et pro reformatione tocius terre status indicta Maguntie curia generali dictus Otto ad eamdem curiam vocatus accessit, in qua, dum assidentibus nobis principibus nostra serenitas resideret de reformando terre statu disponens, nominatus Otto de Luneburch flexis genibus coram nobis (omni odio et rancore postpositis que inter proavos nostros existere potuerunt) se totum in manibus nostris exposuit nostris stare beneplacitis et mandatis et insuper proprium castrum suum Luneburch quod idiomate Teuttonico vocatur eygen cum multis

aliis castris terris et hominibus eidem castro pertinentibus in nostram proprietatem et dominium specialiter assignavit, ut de eo quicquid nobis placeret tanquam de nostro proprio faceremus.

Nos autem, qui tenemur modis omnibus imperium augmentare, predictum castrum de Luneburch cum omnibus castris pertinentiis et hominibus suis, quemadmodum ex ejusdem Ottonis assignatione in proprietatem accepimus, in presentia principum in imperium transtulimus et concessimus, ut per imperium infeodari deberet. Civitatem insuper de Brunswich, cujus medietatem proprietatis dominii a marchione de Baden et reliquam medietatem a duce Bawarie dilectis principibus nostris emimus pro parte uxorum suarum, que fuerunt quondam filie Henrici de Brunswich comitis palatini Reni patrui dicti Ottonis, similiter in eadem curia imperio concessimus proprietatem nobis debitam in dominium imperii transferentes.

Preterea Ottone in ipsa generali curia in manibus nostris connexis palmis super sancta cruce imperii que ibidem tenebatur prestante fidei juramentum nos attendentes, quam pura fide sincera et prona devotione se totum mandato nostro et voluntati commisit et in proprietatem nostram concessit proprie proprium castrum suum, de quo nemini tenebatur, et humiliaverit se modis omnibus coram nobis, considerantes insuper, quod nunquam per eum fuerit offensum imperium et nec contra honorem nostrum ad suggestionem alicujus voluerit inveniri, dignum et utile vidimus circa statum et augmentum ipsius imperiali munificentia providere. Quapropter cum consilio assensu et assistencia principum civitatem Brunswich et castrum Luneburch cum omnibus castris hominibus et pertinentiis suis univimus et creavimus inde ducatum et imperiali auctoritate dictum consanguineum nostrum Ottonem ducem et principem facientes ducatum ipsum in feodum imperii ei concessimus ad heredes suos filios et filias hereditarie devolvendum et eum solempniter juxta consuetudinem investivimus per vexilla, de affluentiore gratia concedentes eidem decimas Goslarie imperio pertinentes. Ceterum ministeriales suos in ministeriales imperii assumentes eidem concessimus eosdem ministeriales juribus illis uti, quibus imperii ministeriales utuntur.

Ad hujus itaque concessionis memoriam et robur perpetuo valiturum presens privilegium fieri et bulla aurea typario nostre majestatis impressa jussimus communiri. Hujus autem rei testes sunt: S. Maguntinus, H. Coloniensis, E. Salzpurgensis, T. Treverensis et . . Bisuntinus archiepiscopi; W. Madeburgensis electus, E. Pabembergensis, S. Ratisponensis imperialis aule cancellarius, H. Constantiensis, S. Augustensis, B. Argentinus, H. Basiliensis, C. Hyldensemensis, J. Leodiensis, G. Cameracensis, J. Metensis, . . Tullensis, . . Monasteriensis, E. Nuemburgensis, . . Trajectensis, C. Osemburgensis, R. Pactaviensis, H. Eystedensis, C. Spirensis, E. Merseburgensis, G. Verdunensis et C. Frisingensis episcopi; frater H. domus hospitalis sancte Marie Theutonicorum in Jheru-

salem magister, . . Morbacensis, . . Augensis et . . Elwacensis abbates; O. dux Bawarie palatinus comes Reni, H. dux Brabantie, A. dux Saxonie, B. dux Karinthie, M. dux Lothoringie, H. lancgravius Turingie, palatinus comes Saxonie, H. marchio Misinensis, H. marchio de Baden, J. et O. marchiones de Brandeburch, H. comes Senensis, H. comes Barensis, D. comes Clevensis, H. comes de Hanalt et alii quamplures.

Signum domini Friderici secundi Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris semper augusti Jerusalem et Sicilie regis.

Ego Sifridus Ratisponensis episcopus imperialis aule cancellarius vice domini Maguntini archiepiscopi totius Germanie archicancellarii recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo quinto, mense augusti, octave indictionis, imperante domino nostro Friderico Dei gratia serenissimo Romanorum imperatore semper augusto Jerusalem et Sicilie rege, anno imperii ejus sextodecimo, regni Jerusalem decimo, regni vero Sicilie tricesimo octavo feliciter amen.

Datum Maguncie anno mense et indictione prescriptis.

61. Das Oesterreichische Landrecht [1276—1330].

Abgedruckt aus V. Hasenöhrl, Oesterreichisches Landesrecht im 13. und 14. Jahrhundert (1867) S. 236—263. — Vgl. A. Luschin, Die Entstehungszeit des österreichischen Landesrechtes. (Festschrift der Universität Graz 1872).

Das sind die recht nach gewonhait des landes bei herzog Lewpolten von Oesterreich:

[1] Daz dhain landesherre sol dhain taiding haben, nůr über sechs wochen und nicht darhinder, und sullen auch die taiding sein nůr ze Newnburg ze Tůln und ze Mauttarn. So sol dhain graf noch freie noch dienstman, die ze recht zu dem land gehorent, weder auf ir leib noch auf ir er noch auf ir aigen ze recht steen nůr in offner schrann vor dem landesherren. Wil aber im der landesherre unrecht tůn, so sol er wol mit recht dingen an das reich und davon sein recht pringen, als im ertailt wirt, und sol auch das geding wider pringen in sechs wochen, in irre dann eehaft not, das er wol mit seinem aid bestetten mag nach der eehaften not. Wann er zu dem lande kůmpt, so sol er vor dem landesherren und vor seinen hausgenossen in offner schrann antwurten über sechs wochen und nicht darhinder, als recht ist nach gewonhait des landes.

[2] Es sol auch der landesherre dhainen dienstman nicht übersagen umb was er tůt. Er sol über in richten nach des landes gewonhait, als recht ist. Begreift er in an der hanthaft, so sol er über in richten mit dem tode. Entrinnet er im, so sol er in in die echt tůn, und nach der echt so sol er in beclagen

vor dem reiche, und sol man vor dem reiche urtail über in tůn, als im ertailt wirt, und sol im sein er und sein recht niemant benemen, wenn das reich, wann si von dem reiche des landesherren lehen sind, davon sol der chaiser und das reich die letzten urtail über in geben.

[3] So sol auch der landesherre noch dhain richter dhainen unbesprochen man und der ein gesessen man ist umb dhain inzicht nicht aufhaben. Er sol in vordern in der schrann nach landes gewonhait, als recht ist. Kůmpt er dann nicht für an dem vierden taiding, so soll er alles des schuldig sein, da in der richter umb gevordert hat, und sol in darnach ze echt tůn. Ist aber, daz er fürkůmpt und wil sich aus der echt sweren, so sol in der richter aus der echt lassen, und sol er des sweren, daz er dem, der in ze echt hat pracht, ze recht stee drei taiding nach einander, es sei dann, daz in eehaft not irre, des in sein aigen man oder sein hausgenoss wol bereden mag vor dem richter in der schrann. Nach der eehaften not sol er ze recht steen im nagsten landtaiding über vierzehen tag und nicht darhinder. Ist, daz er dann nicht antwurt, so sol in der richter an der stund ze echt tůn, und sol in nimmer daraus lassen, er tůe dem clager ee allen seinen schaden ab, darumb er in ze echt hat gepracht, und geb dem richter die wandel, die nach der schuld recht sind, darumb er beclagt ist, und nach des landes gewonhait.

